This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Educ 4485.10

Harvard College Library

FROM THE FUND

IN MEMORY OF

GEORGE SILSBEE HALE

AND

ELLEN SEVER HALE

ALPHONSE
PICARD & FILS
EDITEURS
82
RUE BONAPARTE
PARIS VI^E ARROND^T
LIBRAIRIE
ANCIENNE
D'OCCASION
COMMISSION
LIVRES NEUFS
FRANÇAIS
&
ETRANGERS

UNIVERSITATIS
AVENIONENSIS
HISTORICA ADUMBRATIO

HÆC APUD AQUENSEM LITTERARUM FACULTATEM

DISPUTABAT

LÉON BARDINET

JAM LICENTIATUS

LEMOVICIS

APUD V. H. DUCOURTIEUX, TYPOGRAPHUM

VIA ARENARUM DICTA

—

M DCCC LXXX

Educ 4485.10

HARVARD COLLEGE
MAR 2 1911
LIBRARY.
Hale Fund

PROLUSIO

Nihil hactenus, aut fere nihil, de « *celebri et famosa* » Avenionis Universitate in diem proditum est. Inter recentes auctores, vix unus [1], aut alter [2], de ea perpauca attigit : inter veteres Paulus Cadecombus, in quodam manuscripto [3], quod mihi, varia bibliothecæ Avenionensis volumina pertractanti, forte occurrit, et in libro qui inscribitur : *Nova disquisitio legalis,* unus de Academiæ nostræ origine et de *illustrioribus legum interpretibus,* qui in ea floruerunt, satis copiose disseruit. Is tamen, quanquam vir doctissimus, nihil de Litterarum, Medicinæque ac Theologiæ Facultatibus dicere aggressus est, sive jurisprudentiam, in qua ipse pollebat, mentione tantummodo dignam existimaverit, sive inceptum opus, aut laboris tædio, aut inopia otii, aut documentorum penuria relinquere coactus fuerit. Nos igitur rem intentatam, aut infectam, redintegrare conati sumus, atque hanc Universitatis Avenionensis adumbrationem delineavimus, ea spe freti, ut plurima in lucem, quum omnino ignota, tum parum nota, producentes, non solum voluptati nostræ ac propriæ eruditioni, sed docti cujusque viri utilitati etiam

1. Ch. Perrin, *Etats pontif. de France au* XVI^e^ *siècle,* p. 40.
2. Barjavel, *Diction. hist. biogr. et bibliogr. du départ. de Vaucluse.*
3. *De primæva Univ. Aven. erectione.*

inserviremus. Volentem enim, de re litteraria apud Avenionenses haudquaquam spernenda [1], sedulo inquirere multa adjuvabunt, ex hoc libro excerpta, quibus haud mediocriter, ni fallimur, ipse proficiat. Cupienti autem scire quanta fuerit in nostra Academia disciplinarum diversitas, qualis doctorum discipulorumque constitutio, quales mores, quales denique patroni, ante oculos obversabitur primum restituta quatuor Facultatum effigies et dissimilis cujusque fortuna, deinde Universitatis jura, privilegia, divitiæ, et, quod maxime ad historiarum scriptores pertinet, quanti momenti in rès extrinsecus actas Avenionensis Universitas fuerit. Ceterum, eo magis inducebamur ut inceptum libellum perficeremus, quo magis cupidine agebamur noscendi, quæ pontificiæ illius et *ultramontanæ*, ut aiunt, Universitatis in partibus Galliarum positæ, et undique regali potentia quasi circumdatæ, fata fuerint.

1. Sine ulla intermissione litterarum studio flagravit Avenio, quæ, postquam sophistas, philosophos, poetas, artificesque suos habuit, doctissimorum deinde virorum majori, quam pleræque Galliarum civitates, copia claruit.

UNIVERSITATIS
AVENIONENSIS
HISTORICA ADUMBRATIO

PARS PRIOR

De Universitatis originibus et de quatuor ejus Facultatibus

CAPUT I

DE AVENIONENSI ACADEMIA A CAROLO II PRIMUM CONFIRMATA, DEINDE BONIFACII VIII APPROBATIONE IN UNIVERSITATEM VERSA

Priusquam inclytæ Avenionis Academiæ originem, formam et fortunam expromere aggrediamur, forsan operæ pretium foret respicere, quæ priscorum Avenionensium in rem litterariam studia fuerint. Sed, ut de Gallorum ludis ab uno Valladerio laudatis, ita de ecclesiasticis scholis in priori medii ævi parte probabiliter jam florentibus, caute silendum esse censemus, ne de re tam obscura videamur confidentius et insolentius disputare. Quidquid enim de antiquissimis litterarum studiis apud Avenionenses traditum est, id totum invalidis innititur fundamentis, et, ut ita loquar, mobili fluctuantique arena. Sed, tertio decimo post Christum ævo, plurima et omni fide dignissima monumenta reperimus, quibus, veluti in solido firmoque saxo, opus exstruamus.

Illis enim temporibus, jamdudum tota in Gallia litteræ florebant. Quin etiam scholas, quum in ecclesiis metropolitanis, tum in monasteriis, magistrorum doctrina eo magis discipulis frequentavit, quod paucitas librorum scientiam, nisi ab ipso docentis ore, excipi non sineret [1]. Non est igitur quod miremur, ea ipsa ætate forsan et antea, ut ipsi opinamur, Avenione doctrina insignes vixisse viros, qui simul et ipsi litteras colerent, et alios docerent [2]. Namque Valladerius asserit in ea civitate, quanquam turbata bello, exstitisse eo tempore gymnasia, idque constare e constitutionibus anni 1218, quas ipse solus profert [3]; sed, ut rem ingenue fatear, illas constitutiones nusquam mihi videre contigit, multa licet rimanti, omnemque moventi lapidem : nec tamen est ideo, cur viro, ceteroquin diligentissimo veri que amantissimo, fidem denegemus, quum præsertim innumera antiquissimaque documenta inter civiles motus Avenione perierint [4]. Præterea, civitas ipsa tum studiosos viros benigne habebat, et liberali fovebat hospitio. Avenione nempe, neminem, litterarum quidem peritum, docendi facultas deficiebat. Pœnas imo curia irrogavit omnibus iis qui « *ausu temerario* » magistrorum libertatem, statutis confirmatam, imminuere tentavissent [5]. In generosa igitur civitate, anno 1243, ludimagistri grammaticam artem profitebantur.

Theologiæ autem doctores, si non prius apparuerant, disciplinam certe suam Avenione post annum 1226 profiteri cœperunt. Namque Cardinalis Sancti-Angeli, in acerbissimo scito illo de mulctanda evertendaque post Albigensium cladem civitate, « inter alia severe præcepit, ut ex pecunia

1. *Hist. litt. de la Fr.*, t. XVI, p. 22, 29, 41.

2. Fr. DE RIBIERS, *Epitom. priv. grad. Univ. Aven.*, p. 147.

3. VALLADERIUS, *De antiq. et veter. Academ. Avenionensium*, f° 202. Ms in Bibliotheca Aven.

4. Paul DE CADECOMBE., *Nov. disq. leg.*, c. XXIII, p. 116.

5. « Item statuimus, ad conservandam libertatem civitatis, quod quilibet possit libere in hac civitate regere et tenere scholas artis grammatice, et, si aliqua persona ausu temerario contra hoc statutum venire temptaverit, vel aliquid machinaverit, arbitrio curie puniatur.» (*Stat. reip. Aven.*, f° 26.)

decumana Avenionenses octoginta libras turonicas uni doctori Theologo conficerent, qui rerum divinarum scientiam publice exponeret; de cætera summa decumæ quartam unam largirentur episcopo, unde ille duodenos Theologiæ auditores inopes aleret, atque illorum egestatem liberalitate publica sustentaret[1] ».

Post Theologos, Avenio, eodem fere tempore, jurisperitos habuit. Qui privatam scholam longe, ut conjicere licet, ante tenuere[2], quam societate doctrinæ, ingenii et industriæ facta, legum Academiam conderent[3]. Eorum, ni fallimur, desunt nomina, duobus tamen exceptis, qui tanto naufragio superfuere, Petro a Bellapertica, quem publice Avenione docuisse constat anno 1301, et Bernardo de Vallebona, decretorum doctore, qui fuit *a Consilio* civitatis ad Carolum II missus[4]. At prospera fortuna prior illa Academia certe usa est, cui mox celeberrimi magistri, frequens et discendi cupida juventus tantam famam dederunt, ut, anno 1295 civitas ipsa, quum liberalibus permota studiis, tum quæstum e discipulorum frequentia percipiendum odorata, legatos ad Carolum II, Siciliæ simul regem et Provinciæ comitem, miserit[5], cui florentis Academiæ institutionem approbarent[6]. Quod brevi, anno scilicet 1303, Carolus non solum concessit, sed publicos

1. Vallad., *ibid.* — Fantoni, *Istoria della citta d'Avig.*, t. II, p. 99.

2. Cæsar Nostradamus quindecim legum doctores nominat, Arelate XIII sœculo viventes circa annum 1287. Ex quo suspicamur legum doctrinam, eodem tempore, Avenione jam floruisse. (Nostr., *Hist. de Prov.*, p. 294.)

3. P. Achard, *Ann. du dép. de Vaucl. de 1838*, p. 179.

4. *Bullarium civitatis Aveni.*, p. 59.

5. Barjavel, *Dict. hist.* — P. Cadecombe, Fragmentum codicis manuscripti *de primæva Univ. Aven. erectione; Univ. d'Avign.*, t. I; *Histoire*, f° 39. — *Annuaire du département de Vaucluse 1838*, p. 179.

6. P. Cadecombe, *Nov. disq. leg.*, c. *XXIII.* — Nostrad., *Hist. de Prov.*, p. 316. Amplissimas Academiæ Avenionensis cathedras a celeberrimis viris Italiæ, Galliæ, Germaniæ, atque Hispaniæ occupatas fuisse affirmat Cæsar Nostradamus in historiis. Quos aut legentes, aut docentes avidissime audiebant scholares. Ideo *famosa* fuit, inter inclytissimas Europæ, Academia Avenionensis. Epistolæ Caroli II ad Senescallum Provinciæ a Nostradamo citantur. Eas non vidimus.

etiam legum doctores eorumque auditores maximis voluit privilegiis ornatos [1]. Interea præcepit, ut Vicarius urbis, statim inito magistratu, servaturum se et curaturum omnia Academiæ privilegia, rataque ac sancta habiturum juraret; necnon, ut «*Subvicarius et alii nuncii curiæ Avenionensis*» sacramento quoque obligarentur ac sponderent se nunquam magistris vel studentibus in personis et rebus injuriam allaturos, aut immeritam eis injuriam aut molestiam impacturos : quod si forte fecissent, officio suo a Vicario dejicerentur[2]. Quæ propter præclara promerita, Carolus rex dignus est, qui primus Academiæ veluti parens, primusque patronus habeatur [3].

Neque circa eadem tempora ecclesiarum et monasteriorum scholæ languebant. Quamvis enim cœnobium sancti Rufi initio illius ætatis cecidisset [4], sancti Andreæ monachi, qui juxta Avenionem usque permanserant, si non profanis forsan litteris, at sacris incumbebant. Verum episcopi, qui Avenionensem ecclesiam eodem sœculo temperaverunt, si non omnes, aliquot certe plurimum moribus et doctrina excellebant. Etenim neque pietas, neque scientia Petro de Corberia deerat, quem ex celeberrima illa Cluniensi familia exiisse omni disciplina instructum audivimus [5]. Alter etiam antistes ille, nomine Zoen, divinarum humanarumque rerum peritia sane præstabat : quippe qui magnas sæpe provincias susceperit, et nonnullis præfuerit conciliis [6]. Nos autem a viris et ingenio et doctrina conspicuis litteras fuisse neglectas confiteri non possumus.

Florebat igitur, quum privilegiis et laude, tum litterarum legumque doctrina, insuper theologicis monachorum

1. *Bull. civit. Aven.*, p. 60.
2. Vallad., *ibid.* — *Bull. civit. Aven.*, p. 59.
3. Eo patrono se jure Universitas ipsa Avenionensis jactabat, Bonifaciumque VIII tacebat, quum scriberet ad Francorum regem, ut privilegiorum confirmationem, anno 1650, impetraret. (*Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 129.
4. Barj., *Dict. hist. biogr., etc.*
5. Nouguier, *Évesq. et archevesq. d'Avig.*, p. 69, et 75. — Vallad., *ibid*
6. Nouguier, *ibid.*, p. 88.

studiis, Avenionensis a Carolo instituta Academia, quum a Bonifacio VIII titulum universitatis novasque immunitates accepit. Quæ munera Bonifacius, utrum propriis ultro studiis, an Avenionensium et Caroli regis precibus concesserit, ab historicis ignoratur [1]. Nos autem putamus summum Pontificem utraque causa ad id impulsum fuisse.

Occurrunt enim testimonia quibus arguitur viri et studiosissima liberalium artium natura, et summa in litteratos viros benevolentia. Idem romanam Academiam privilegiis ornavit, præstititque eis, qui in ea studerent *beneficiorum* fructus percipiendos [2]. « Nec modo Romæ, sed in aliis etiam urbibus, ut Firmi, Appameæ et Avenione gymnasia » erexit [3]. In principio bullæ, qua approbata est Universitas Avenionensis, disciplinarum liberalium « *notitiam a divina benignitate permissam fuisse mortalibus* » ipse asserebat, ut « *veritatis perceptionem, primorum peccato parentum ablatam, magnificum veluti quoddam donum recuperarent* » : quippe qui a viris doctrina virtutibusque claris « *justitiam sustineri, causas ambiguas jurgiaque dirimi, lapsas res, quum publicas, tum privatas, erigi, fatigatas reparari, humiliores debilioresque homines contra validos et potentes defendi, incomparabiles thesauros deliciarum communicari, omniumque bonorum diffundi semina* » profiteretur [4]. Quum de litterarum scientiarumque utilitate tam præclara senserit atque ipse prædicaverit, quis dubitet, quin rerum honestarum omnium, quas admodum juvenis singulariter coluerat, amantissimus fuerit patronus? Ideo in animum sane induxerat societatem quamdam doctissimorum virorum, qui veluti sapientiæ omniumque ingenuarum artium magistri forent, in singulis orthodoxis, ubi intemerata fides usque viguerat, regionibus instituere,

1. *Pièces mss relatives à l'Univ. d'Avign.*, t. IV; *Objets divers*, f^os^ 1 et 34. — VALLAD., *ibid.*, p. 219.
2. VALLAD., *ibid.* — *Ciaconius*, t. II, p. 302.
3. *Ibid.*, p. 318.
4. *Bull. civit. Aven.*, p. 57.

ut earum incolæ « *sub rectitudinis observantia viverent et regnarent et quietis beatitudine* » gratificarentur [1].

Ad novas instaurandas scholas præter quam inclinabat Bonifacius, gravior etiam tum causa Avenionensem Academiam coegit, ut summi Pontificis approbationem, Carolo auspice, affectaret. Namque acerrima jam, Honorii III papæ ætate, exorta fuerat inter doctores dissensio; quorum plures nullum Gymnasium, nullumve *studium generale*, præsertim circa jus canonicum, valere contenderant, nisi prius fuisset apostolica sede approbatum. « Quæ contentio, instaurata temporibus Bonifacii VIII et Clementis V, locum dedit sollicitudini omnium fere orbis Academiarum procurandi pontificiam auctoritatem et approbationem, ut cessaret quæstio in controversiam deducta, an erectio Academiæ seu approbatio Universitatis studiorum generalium cum facultatibus conferendi gradus, condendi statuta, rectorem sine alia confirmatione eligendi, ac jurisdictionem exercendi in suppositos, privative spectaret ad summum Pontificem, vel cumulative ad regem vel imperatorem » [2]. Universitates enim, quæ sanctæ Sedis suffragium captare neglexerant, quasi adulterina quædam reputabantur ideoque reprobata Gymnasia [3], neque *fori privilegium* [4] aliasque

1. *Ibid.* — Christophe, *Hist. de la papauté*, t. I, p. 79.

2. Paul de Cadecombe, *De prim. niv. Aven. erect.; Univ. d'Avign.*, t. I, f° 32. — Jus suum reges sæpe tuebantur. Aurelianensem Universitatem a Clemente V, anno 1307, erectam ideo suppressit Philippus IV, quod condita fuisset sine regali licentia : eam deinde ipse restituit sub titulo studii generalis in utroque jure. Carolus IV imperator Universitatem Praguensem, anno 1348, creavit, quam forsan Clemens VI tantummodo approbavit. Regibus jurisperiti negabant facultatem promovendi in gradum canonicum, sed facultatem promovendi in gradum civilem cæsareumque concedebant. Papæ erat theologiæ et canonici juris studium instituere : ad eumdem pertinebat juris civilis promotio, in locis illis quorum princeps temporalis erat. Itaque Rebuffius contendit Universitatem simul a Papa et a Rege erigendam esse. Sed Flavius Cherubinus facultatem doctorandi in studiis generalibus ad papam spectare dicit. (Dubarle, *Hist. de l'univ. de Paris*, t. I, p. 122 et 157. — *P. rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. I, f° 33. — Flav. Cherub., *Compend. Bullar. Scholia ad constit. 59*, Pii V, t. II, p. 90.

3. Hanc opinionem sustinuit Petrus a Bellapertica, qui Aureliæ, anno 1304, docebat.

4. Privilegium fori pro peculiari jurisdictione usurpatur.

immunitates, probatis legitimisque Universitatibus jam concessas, illis tribuere poterant, quos ad gradus promovebant.

Quapropter omnes fere Academiæ, Romana, Bononiensis, Parisiensis, Tolosana, Montepessulana, ceteræque nobilissimæ commendationem sanctæ Sedis conatæ sunt mereri. Quarum profecto videtur exemplo Academia Avenionensis, a tot jam viris illustrata, tot cumulata privilegiis, tantis etiam ornamentis, summi Pontificis approbationem addere voluisse; « ut firmiori universitatis titulo communita præ aliis caput extolleret, rectorem suum eligeret, statuta conderet, aliisque *famosarum* Universitatum communicatis » frueretur immunitatibus [1]. Quid igitur mirum, si Avenionenses titulum Universitatis vel a Bonifacio VIII, vel a Carolo rege, cujus gratia plurimum apud summum Pontificem valebat, exorare certaverint? Quid, si Bonifacius ipse, quum animadvertisset quantum a Carolo foveretur Academia, eam, ut regi grata faceret, in consortium honoris et privilegiorum celeberrimarum Universitatum vocare voluerit?

Ceteroquin, satis idonea Avenionensium civitas, atque accomodata Bonifacio videbatur « ad multiplicanda doctrinæ semina et germina salutaria producenda [2] ». Omnia nempe illi suadebant, ut inchoatam jam hic perficeret Academiam : « perantiquus in urbe usus litterarum, spectatus ad veterem qualemcunque Academiam omnium prope nationum concursus, natura et ingenium et bonitas in eam rem comparati loci, frequentia et fama, et illa celebritas antiquissimæ civitatis, vicinitas que Venaiscini Comitatus, qui jam ante apostolicæ ditioni patrimonioque concesserat, vota et studia omnium civium, qui se ea ratione magis quam mœnibus, quæ nulla tum erant Avenione, rem Avenionensem muniri et priscam dignitatem revocari posse

1. Paul DE CADECOMBE, *De prim. Univ. Aven. erect.; Pièces relat. à l'Univ.*, t. I; *Hist.*, f° 32.
2. *Bullar. Civit. Aven.*, p. 57.

arbitrabantur [1] ». Ad hæc amœnissimus urbis situs, cœlique suavissima jucunditas, et commercia a civibus cum Gallia Italiaque assidue habita [2]. Bonifacius igitur, vel sponte sua, vel Avenionensium, aut Caroli regis precibus flexus, vel dictis supra causis impulsus, Academiam jampridem Avenione informatam approbari, ibique *generale litterarum studium* et sua auctoritate et suo patrocinio florere voluit [3]. Tres igitur ibi Facultates sanxit, quibus profiteri jus canonicum et civile, medicinam artesque liberales, et conferre gradus in qualibet parte permisit. Bulla approbationis Ananiæ data est anno 1303, Kal. Jul. [4].

Ergo antiquitate sua jure gloriatur Universitas Avenionensis; quippe quæ celeberrimis Galliæ, aut Italiæ, aut Hispaniæ Academiis parem fere possit vetustatis laudem affectare [5].

CAPUT II

DE LEGUM FACULTATE

Avenionensis Universitas quatuor quidem non autem æquales Facultates habuit: tres enim initio, scilicet Legum, Litterarum et Medicinæ, ex Bonifacii VIII bulla institutæ sunt, quas posterius modo quarta Theologiæ Facultas secuta est; ex prioribus etiam, Legum Facultas statim et perpetuo viguit, reliquæ autem serius tantum et, longo interjecto tempore, e tenebris videntur emersisse. Itaque, de Facultate Legum, quæ temporum ordine prima fuit, primum

1. Vallad., *ibid.*, f° 57.
2. Camb. Vell., *Annales d'Avignon*, t, II, f° 134 v°.
3. Cadecomb., *Nova disq. leg.*, p. 116.
4. *Bullar. Civit. Aven.*,, p. 597.
5. Camb. Vell., t. II, f° 141 v°.

disseremus, præsertim quum eadem ceteras numero et laude professorum et studentium longe superaverit; « in quibus, (si Valladerii quibusdam verbis subobscuris atque etiam mutilis nobis uti liceat), difficile est enumerare quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua ætate omnes sine controversia vixerint, sed omnium quicumque hactenus fuissent vel scientiæ pervestigatione vel ingenii [acumine?] gloriam atque famam comprehenderint [1] ». Quarto decimo primum sæculo plurimi et peritissimi jurisconsulti Avenionensem Universitatem illustraverunt. Inter quos nobilissimus Oldradus de Ponte, patria Laudensis, vir *omnium calculo vere monarcha juris inscriptus* [2], qui, quum a Joanne XXII ex Academia Patavina arcessitus nostræque Universitati præfectus fuisset, tredecim annos ibi publice docuit (1316-1329), et summum Pontificem in angustis negotiis magnopere adjuvit [3]. Cujus æqualis fere et collega Goffredus *Saligniaci* plures annos *Infortiati* leges in Avenionensi auditorio non sine laude exposuit [4]. Illius tanti fiebant lectiones, ut manuscriptæ diu in bibliotheca Universitatis servatæ, et deinde typis Lugduni anno 1552, accurante civitate, mandatæ fuerint [5]. Circa eadem tempora juris cathedram Avenione obtinuit Petrus Bertrandus, qui plurimum in eo munere inclaruit, atque in comitiis Baronum anno 1329 convocatis, præsente Philippo Valesio rege, ecclesiasticam jurisdictionem adversus Petrum Cugnerium fortiter et feliciter defendit [6]. Baldus etiam,

1. Vallad., *ibid.*, f° 248.

2. Vallad., *ibid.*, f° 248.

3. Ciacon., t. II, p. 406. — Cadecomb., *N. d. l., ibid.*, p. 116.

4. Cadecomb., *ibid.*, p. 117. — Barj., *Dict.* — Fransoy., *Mélanges*, t. I, f° 75. *Mss à la bibliothèque d'Avignon.*

5. Cadecomb., *ibid.*

6. Cadecomb., *ibid.*, p. 118. — Barj., *Dict.*, t. I, p. 204. — *Bibliogr. univ.*, t. IV. p. 373. — Stephanus Aubertus (Innocentius VI), doctores Universitatis nostræ ita accurate et studiose audivit, ut ipse doctor ab eis factus fuerit (Cadecomb., *ibid.*; Fransoy, *ibid.*, f° 78). — « Guilhelmus Grisatus Mimatensis pariter Avenione doctoratus gradum in decretis

quem Gregorius XI ad se, anno 1371, vocavit, in Universitate Avenionensi leges videtur professus fuisse [1]. Discipulus ejus, Paulus Castrensis, de quo Cujacius dicebat : « *qui non habet Paulum de Castro tunicam vendat et emat* », certe Avenione in numerum doctorum est adscriptus, postquam egregie et splendidissime thesim (1385) defendisset [2]. Is enim adversus octo Prælatos in palatio episcopali primum est argumentatus, deinde in scholis Universitatis a mane ad vesperam cum aliis disputavit [3]. De quo Valladerius hæc prædicat : « de Paulo Castrensi nunquam sat dixero, qui, quo tempore novæ scholæ erigebantur, longam ac fructuosam et vestræ civitati gloriosam moram faciebat, vir ex omni parte mirabilis, cujus scripta in digesta et codicem imperialem adeo multa dilucida, ordinata, fructuosa teruntur ab omnibus, inter quæ illæ lectiones (ipsius politissimum opus, et quasi cygnea vox), quas ipse inscribit Avenicas; ut Oldratum etiam longo post intervallo reliquerit, et quod plusculum judicii adhibuerit, et quod infinita perscripserit, et quod jurisprudentiam cum eximia quadam dicendi venustate conjunxerit [4] ». Sub idem tempus Ægidius Bellamera, aliquandiu in Universitate nostra jus canonicum exposuit, et tot juris volumina scripsit, ut illis legendis ætas hominis vix sufficiat [5]. Ejus famam testatur distichon :

Deditus hic studio permulta volumina legit,
Condidit et nostro multa legenda seclo [6].

accepit et postea, professor juris canonici electus, Avenione per plures annos publice docuit, teste Ciaconio in vita Urbani V. » (CADECOMB., *ibid.*) — Sub idem tempus Bertrandus de Columbario, de quo recentiores scriptores siluere, jus in eadem civitate interpretatus est ante annum 1364 (FRANSOY, *ibid.*, p. 80).

1. CADECOMB., *ibid.* — FRANSOY, *ibid.*,. f° 78.

2. *Biog. univ.*, t. VII, p. 347. — BARJ., *Dict.* — CADECOMB., *ibid.*, p. 119.

3. CADECOMB., *ibid.*, f° 119.

4. VALLAD., *ibid.*, f° 250. — Joannes de Broniaco, quum studiis finem Avenione fecisset, ibi etiam doctor in decretis ante annum 1380 evasit (CADECOMB., *ibid*).

5. CADECOMB., *ibid.*, — FRANSOY, *ibid.*, t. I, f° 79.

6. BARJ., *Dict.*

Illos inter jurisperitissimos viros multi episcopalem, nonulli etiam pontificiam sedem ascenderunt, in Pontificum aula summas dignitates summaque munia consecuti sunt. Parem igitur benevolentiam gratiamque jurisconsulti Avenione a summis Pontificibus atque a regibus ceterisque principibus experti sunt. Qua quidem dignissimi erant, nam, neque labori, neque vigiliis parcebant : in legibus assidue usque versabantur, dum absolutam juris scientiam percepissent; gradus egregie merebantur, graviter et verecunde aut dabant responsa, aut causas orabant. Sic optimam sibi omnium existimationem, maximumque favorem conciliaverunt. Eo in honore fuerunt, ut uxores ex nobilissimis gentibus duxerint. Mox etiam divitias comparavere, unde prædia, *dominia* et castella emerent, quæ nepotibus in hæreditatem relinquerent. Talia quidem narrat Nostradamus de jurisconsultis Provinciæ sub finem quarti decimi seculi viventibus[1]. Non pejus tamen fuisse constat iis, qui initio quinti decimi exstiterunt.

Tum enim Avenione docuerunt Joannes *Hugoneti* utriusque juris magister, qui plurimum in decretis valuit, et Joannes Raynaudus, qui fuit doctorum in numerum, anno 1398, adscriptus, civilis pariter et canonici juris peritus [2]. Quibus successerunt Joannes *Payer*[3]. Paulus de Cario et Pontius de Sadone[4]. Circa mediam quinti decimi sæculi partem Stephanus Bertrandus, postquam Avenione lauream doctoratus adeptus fuerat, inter responsores celeberrimi laudem obtinuit usque ad annum 1470[5]. In negotiis magis

1. Nostrad., *Hist. de Prov.*, p. 516.

2. Joannes Raynaudus librum *Feudorum* tres annos in nostra Universitate exposuit, et *Comprehensorium Feudale* atque alios de *Nobilitate*, de *Suitate*, de *Mensuris*, de *Monetis* tractatus edidit (Cadecomb., *ibid.*, p. 120. — Fransoy, *ibid.*, f^os 80 et 81.)

3. Joannes Payer, decretorum doctor, leges Avenione diu legit, terque Primicerius (1437, 1453, 1459) electus fuit (Camb. Vell., *ibid.*, t. IV, f° 60. — Barj., *Dict.*).

4. Paulus de Cario et Pontius de Sadone ambo Primiceriatu, alter anno 1438, alter insequenti anno functi sunt (Cadecomb., *ibid.*, p. 121. — Barj., *Dict.*).

5. Camb. Vell., t. II, f° 147 et seq. — Barj., *Dict.*

quam in scribendo inclaruit Philippus Gervasius, doctor collegiatus, qui Primiceriatum egit anno 1461. Ejus vices excepit Guillelmus Mainerius, qui Primicerii dignitatem septies tenuit, et eximium tractatum *de regulis juris* Avenione dictavit. Hujus filius Accursius sub patre, iterum Primicerio et professore publico, doctoratum accepit, et deinde Præses Aquensis famam altissimæ eruditionis in posteros transmisit [1]. Laudatur quoque Bonifacius de Vitalinis, vir singularis doctrinæ, qui, anno 1480, jus publice Avenione professus est [2]. Avenione tamen videntur Leges, sub finem quinti decimi sæculi, paululum ab antiqua prosperitate deflexisse. Namque Universitas, si quem ex collegiatis doctoribus peritissimum habuisset, Hispanum Antonium *Comarcy* haudquaquam vocasset. Multum quidem, si cuidam ætatis nostræ scriptori credimus, Universitati magnum schisma nocuit, quæ magis etiam inclinare cœpit, ex quo legati Avenionenses in concilio Basiliensi Andegavensibus posthabiti fuere [3].

At pristinum decus sexto decimo sæculo, Legum Facultas recepit. Ea nempe ætate juris doctrina præstantissimi viri, tum extranei, quum indigenæ Avenione docuerunt, aut studuerunt, ex quibus plures « non solum Academiæ Avenionensis *horoscopo*, sed totius Europœi orbis *hemyciclo* affulserunt [4]. » Inprimis nempe Universitatem nostram illlustravit Joannes Franciscus Ripa Sannazarius, qui jus

1. Cadecomb., *ibid.*, p. 121. — Camb. Vell., *ibid.*, t. II, f° 147 et seq. — Barj., *Dict.*

2. Cadecomb., *ibid.*, p. 122. — Camb. Vell., *ibid.* — Barj. *Dict.* Inter ceteros ejusdem ætatis professores a scriptoribus notantur præcipue Joannes Isnardus, Dragonetus *Girard d'Aubres*, Guillelmus *Ricci*, Agricolus de Panissia, *ordinarii* lectores; Joannes Casaletus et Antonius *Comarcy*, hispanus, lector *extraordinarius* publico ære conductus (Cadecomb., *ibid.*;— Camb. Vell., *ibid.* — Barj., *Dict.*)

3. Barj., *Dict.*, t. II, p. 456.

4. Vallad., *ibid.* — Verbum *horoscopo* a Valladerio usurpatur pro verbo horoscopio (Grece ὡροσκοπεῖον, gallice *cadran d'astrologue*) id est pro orbiculo, verbum autem *hemyciclo* pro verbo hemicyclio (Grece ἡμικύκλιον, gallice *amphithéatre*) id est pro majori circulo. Hic habemus exemplum affectationis illius in quam sæpe auctor noster incidit. — Inter ejusdem

cæsareum publice docuit anno 1518. Mox civitatem pestilentia laborantem Mazano oppido, scholis vacantibus, mutavit, sed Avenionem deinde rediit, ibique mansit donec a duce Mediolanensi revocatus, in patriam, ne prædiis privaretur, reverti coactus est. Sed anno 1530 redux, primariam juris civilis cathedram, ab Alciato relictam, Avenione per triennium obtinuit [1]. Hic enim septem et viginti modo annos natus, leges Avenione exponere ab anno 1521 cœpit, atque ea, vel a principio, usus est felicitate, ut, quum nunquam « *ad eam diem cathedram ascendisset, stipendium sexcentorum aureorum* » acceperit, et « *ætate longe impar senioribus tamen* » fuerit æquatus [2]. Ibi per quinquennium, magnum fecit studentium, qui sæpe octingenti aderant, concursum. Quum tamen avarior esset, atque civitatem in solvendo honorario nimis cunctantem videret, Mediolanum rursus migravit. Deinde in Galliam iterum se contulit, et ad Biturigum Academiam a Francisco I rege, duplicato salario, allectus fuit anno 1529 [3]. Andreas igitur Alciatus, qui *omnium doctrinarum orbem absolvit, primusque legum studia antiquo restituit decori* [4], ingentem illam, quam sibi pepererat laudem, Universitati Avenionensi

ætatis Primicerios numerantur Clemens de Ruvere (1501) et Joannes de Panissia (1505); inter professores Joannes de Garronibus nemini pæne in jure cedens, qui, anno 1507, publicus lector in Universitate Avenionensi creatus est, nobilemque tractatum legit de *secundis nuptiis*, quem Carolus *Cottier* Stephano Bertrando attribuit; Bonifacius de Annatis, vir insigni eruditione; Oliverius Rollandi et legum peritissimus, ceteroquin in rebus politicis magnanimus, qui de *Facultatibus Legationis Avenionensis* scripsit, et quinquies Primiceriatum suscepit. Bis eadem dignitate functus est Franciscus de Merulis (CADECOMB., *ibid.*, p. 122, 123. — VALLAD., *ibid.* — CAMB. VELL., *ibid.* — COTTIER, *Notes concern les Rect., etc.*, p. 154. — BARJ., *Dict.*).

1. CADECOMB., *ibid.* — CAMB. VELL., *ibid.* — VALLAD., *ibid.* — BARJ., *ibid.* — FRANSOY, *Mél.*, t. I, f° 82. — Simul Avenione docuerunt Ripa et Alciatus, anno 1518, ut ex deliberationibus Universitatis perspicue patet (*P. rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. I : *Hist.*, f° 51.)

2. Oratio Alciati ad Ticinenses, quæ a Valladerio citatur.

3. CADECOMB., *ibid.*, p. 123. — *Biogr. univ.*, t. I, p. 454. — FRANSOY, *ibid.* — BARJ., *Dict.*

4. Alciati epitaph.

impertivit. Eum cum Ripa Sannazario comparat Valladerius his verbis : « Joannes de Ripa quingentorum nummorum aureorum, et Andreas Alciatus sexcentorum stipendio, duo homines disparibus studiis, et valde diversis inter se moribus, naturis que contrarii, ille pusillo contractoque corpore, iste erecto excelsoque et quadam dignitate spectabili, ille acerrimus atque præfervidus et in discipulorum controversis, *scrupulisque* [sui?] *impatientissimus* ac pæne præceps, iste intentus, consultus, maturus, benignus, affabilis, paratus ad omnia; ille clarior in jurisprudentia, iste melior et probior in vita; ille in suis codicibus, qui plurimi exstant atque pulcherrimi, jurisconsultorum primus inscribitur, iste toto orbe eximius in jure, singularis eloquentia, summus in poetica, princeps in omni humanissima disciplina prædicatur..... ad extremum Ripensis audaculus, Andreas subtimidus et verecundus fuit : ita enim accepi a Juliano Colirio, utriusque discipulo, qui vivit adhuc, Andream, cum delectus esset a civitate ad perorandum coram Cardinale Sallusiano ad Anglos a summo Pontifice delegato, sic in extrema porticu ad fores mirandi cubiculi exanimatum fuisse in principio dicendi, ut exalbesceret, titubaret, effuse sudaret et per quadrantem horæ penitus obmutesceret adeoque contremeret, ut Julianus ipse, qui tum pæne ipsum contingebat, ipsam Andreæ vestem commoveri ex totius corporis motu sentiret, postea tamen, cum erraticos lapsosque spiritus revocasset, ita dixisse, ut omnes summa admiratione suspensi obstupescerent[1]. » Andreæ Alciati Avenione tum quoque æmulus fuit in publico legum auditorio Antonius de Castro, vir *ad omnia natus,* qui, circa annum 1520, eo superior evasit, et Primicerius et Vicegerens, omnia dignitatum munia honeste implevit[2]. Sub idem fere tempus Petrus Gerardus *d'Aubres* et Bonifacius de Garronibus novam genti suæ famam, quum

1. VALLAD., *ibid.*, f° 261.

2. CADECOMB., *ibid.* — FANTONI, t. I, p. 34, 36. — CAMB. VELL., *ibid.* — FRANSOY, *ibid.* — BARJ., *Dict.*

dignitate, tum doctrina, addiderunt [1]. Horum vero longe fuit illustrissimus Joannes Nicolaus Arelatensis, qui, quum Avenione jus a Francisco de Ripa didicisset, publicus ipse professor anno 1537 factus est, et tractatum de *secundis nuptiis* auditoribus septennio dictavit [2]. Anno 1538, Jacobus de Novarinis munus docendi primum capessivit, quo per viginti annos postquam functus est, *Comes Legum* in publico legum auditorio coram Prolegato, Primicerio et collegio ceterisque magistratibus civitatis solemni inauguratione declaratus est anno 1558. Idem ter Primiceriatum inivit [3].

Inter jurisconsultos et doctores, qui Avenione, primis alterius ejusdem sæculi partis temporibus, floruere, animadvertimus Josephum de Lopis, qui, summæ eruditionis documentum, reliquit responsa ultra quingenta, in bibliotheca ms Henrici Suaresii olim servata [4]; necnon ejus fratrem Joannem publicum Universitatis nostræ doctorem (1542), qui operis sui primitias Cardinali Sadoleto obtulit [5], et Hieronymum de Laurentiis, *Legum Comitem* quaterque Primicerium [6], lumen juris, Universitatis reparatorem [7]. Quos tamen superavit Æmilius Ferretus, vir *usque ad sidera notus*, ut ait Paulus Cadecombus, suæ ætatis eloquentissimus, ut asserit Valladerius, qui ab anno 1546 ad annum 1552 publice « cum tanto audientium concursu atque affectu in Universitate Avenionensi jura tractavit, tamque elegantia de jure edidit in gravibus controversiis responsa, ut ab ejus

1. Barj., *ibid.*

2. Vallad., *ibid.*—Cadecomb., *ibid.*, p. 124.—Fransoy, *ibid.*—Barj., *Dict.*

3. Cadecomb., *ibid.* — Camb. Vell., *ibid.* — Barj., *Dict.*

4. Fransoy, *ibid.*, f° 83. — Cadecomb., *ibid.* — Camb. Vell., *ibid.* — Barj., *Dict.*

5. Antonius quoque Caius fuit in numerum doctorum, professorum ac Primiceriorum Avenionensium adscriptus. Petrus Geraudus, Mauri Magister, docuit anno 1545 (Cadecomb., *ibid.*, p. 124.—Camb. Vell., *ibid.*—Barj., *Dict.*

6. Cadecomb., *ibid.*, p. 124.—Camb. Vell., *ibid.*— Barj., *Dict.*—Fornéry, *Hist. ms du comt. ven.*, t. I, p. 893. — Vallad., *ibid.*

7. Citantur etiam a Paulo Cadecombo alii jurisconsulti, Petrus Jacobus, J. Goffredus, Thomas Parpalea, Joannes et Gerardus a Sancto-Nazario Papienses (*De prim. Univ. erect.; Univ. d'Avign*, t. I; *Hist.*, f° 45.)

ore velut oraculo omnis fere patria penderet[1]. » Idem, si Valladerio credimus, fuit « non tam armis instructus quam Palæstra, idemque suavis, sicut fuit, videri maluit, quam reconditus; sed tamen suavitate ea, qua non modo perfunderet, sed etiam perfringeret animos » eorum a quibus esset auditus. His et ipse dictavit multa præclare, quæ ipse tamen post mortem comburi præceperat, id que fuisset, nisi carptim hinc inde ipsius auditores, non quidem ordinatim, neque ingeniosissime, quasi illius posthumos, aut potius immaturos fœtus collectos editosque servassent. « In quo et in auditoribus optimis nobilem fidem, et gratum animum laudo, et Avenionensium etiam haud ingratæ memoriæ significationem, qui in Gymnasio, ubi ipse floruit, suggestum eleganti arte posuerunt cum illo dicto : *Sedes Æmilii Ferreti,* et illo altero : *Imperitum dedecoro, peritum orno*[2]. » Tam clarum magistrum audiendi cupidine Avenionem egregii discipuli se contulerunt. Venerunt Tolosa Josephus Bellonus eximiis operibus notus, et Antonius Goveanus, Lusitanus, felix Rami philosophi adversarius, qui ipse postea Avenione docuisse creditur, et philosophiam atque historiam in legibus interpretandis tam sagaciter adhibuit, ut inter omnes, qui Justinianeum jus exposuerunt, palmam facile retulerit[3]. De eodem dixit Cujacius se a legibus prope fuisse deterritum, ut qui Goveani laudem se unquam assecuturum desperaret[4]. Æmilio Ferreto, anno 1552 exstincto, successit Aimonius Cravetta, Pedemontanus, vir non minus eruditione quam genere illustris, qui sententias Æmilii Ferreti, ab auditoribus summa veneratione cultas, paulo acrius impugnare

1. CADECOMB., *ibid.*, p. 125. — *P. rel. à l'Univ.*, t. I : *Hist.*, f° 51.
2. VALLAD., *ibid.*, f° 254.
3. CADECOMB., *ibid.*, p. 125. — *Biogr. univ.* — BARJ., *Dict.*
4. *Biogr. univ.* — Ceteros inter Emilii Ferreti discipulos duo præcipue nominandi sunt Philibertus Bugnonius, Masticonensis, litteris clarior, quam jure; Bertrandus Maurus, cujus thesis doctoralis, Avenione defensa, magna rerum novitate et rationum vi maxime enituit, et Petrus Ricci, qui Primiceriatum obtinuit anno 1551.

ausus est [1]. Quamobrem discipulorum invidiam in se concitavit, atque ita male ab iis habitus fuit, ut altero anno recesserit [2]. Deinde extraneus alius Joannes Angelus Papius, vir ut doctrina ita eloquentia celeberrimus, leges Avenione legit anno 1554. Jacobus de Novarinis, hoc de magistro et collega judicium tulit :

De Papio breviter si vis quod sentio dicam,
Illo nil tellus *Itala* majus habet [3].

Mox paulo Universitas nostra, bello contra Baronem *des Adrets* hæreticarum copiarum ductorem indicto, justitium edixit ab anno 1560 ad annum 1563 [4]. Tacente autem Legum Facultate, tacuere etiam ceteræ Facultates, totaque Universitas fere corruit. Mox vero pacata Provincia, Hieronymus a Laurentiis, qui, jussu Juliani de Tullia Primicerii, publicas lectiones redintegravit, Legum Falcultatem refecit [5]. Quæ tamen pristinum splendorem recuperasse non videtur : nam postea per tringinta quinque annos, neque tot, neque tantos habuit doctores, exceptis quidem Jacobo Cujacio, qui in Universitate nostra paucos tantum annos docuit (1570-1572), et Ludovico Bello, juris canonici lectore ordinario, miræ eloquentiæ et doctrinæ, qui, velut alter Æmilius Ferretus, quasi *oraculum civitatis* fuit (1581). Hectorem Bellum, professorem ordinarium, qui in jure tradendo ea majestate atque eloquentia uti solebat, ut auditores admiratione raperet [6], ceterosque [7],

1. Cadecombe, *ibid.*, p. 126. — *Biogr. univ.*
2. Cadecomb., *ibid.*, p. 126. — Camb. Vell., *ibid.*
3. Cadecomb., *ibid.* — Anno 1555, Marcus Stephanus a Vigerone opera sua *alphabetum legale* et dialogos *de materia obligationum et furtorum* typis Avenione mandavit, ubi publicus tum erat professor. Ibidem etiam Antonius *Fachineti,* nobilis Bononiensis, si non leges est interpretatus, doctoralem lauream certe accepit (Cadecomb., *ibid.* — Barj., *ibid.*)
4. Cadecomb. — Barj., *ibid.*
5. Cadecomb., *ibid* , p. 126.
6. Cadecomb., *ibid.*, p. 127. — Camb. de Vell., *ibid.* — Barj., *Dict.*
7. Hæc eorum nomina sunt Joannes de Tullia Ludovicus et Gabriel de Bellis et Joannes de Laurentiis (Barj., *ibid*).

doctrina ac laude prioribus minime comparandos de industria omittimus. Ne tamen prætermittamus Petrum Davidem Peireskii magistrum, et Joannem Feraudi, qui cathedram instituit, anno 1596, in qua tres ultimi codicis libri docerentur [1]. Quorum omnium opera revaluit Universitas, rursusque inclaruit.

Itaque, initio sequentis ætatis, apparent peritissimi viri Franciscus Suaresius Avenionensis et Raymundus Tondutus, qui Primiceriatu vicissim functi sunt annis 1606 et 1607; Franciscus Ubaldus Perusinus, qui jus anno 1608 profitebatur; Honorius Sangenesius, qui plurimum moribus et doctrina valebat; Gabriel-Maria Seguinus, qui bis summas Universitatis dignitates obtinuit; Petrus-Josephus *de Salvador* et Andreas Payanus, aliique doctores collegiati, qui, morem gerentes D. Sebastiano *de Vassieu* tunc Primicerio, solemnes lectiones atque exercitationes publice fecerunt Universitatemque nostram adeo excoluerunt, ut fama ejus vicinas simul et remotas gentes impleverit, multique Burgundiones, Sabaudæ, Occitani et Provinciales Avenionem convenerint [2]. Inter quos præcipue nominandus Petrus Gassendus, Diniensis, qui doctorali laurea in Universitate nostra donatus est anno 1612 [3]. Eo etiam tempore, legum doctrina eo in honore fuit, ut optimates et nobiles viri, ejusdem laudis cupidi, honestas disciplinas Avenione primum discere, deinde docere, minime dedignati sint, quorum plures ne advocationem quidem contempserunt : at, egregium illud probe honesteque exercentes munus, eos quæstus fecere, qui magnis lautæ et sumptuosæ domus impensis sæpe sufficerent [4].

At inter jurisconsultos Avenionenses septimi decimi sæculi, celeberrimus certe fuit Petrus Franciscus Tondutus, Dominus Sanlegerii, qui per plures annos imperiales

1. Barj., *ibid.* — *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 147 et 156.
2. Barj., *Dict.* — Cadecomb., *ibid.*, p. 127. — Camb. de Vell., *ibid.*
3. Camb. de Vell. — *Biogr. univ.*, t. XVI, p. 523.
4. Fornéry. *ibid.*, f° 452.

institutiones exposuit (1622-1645), et bis Primiceriatum egit annis 1642 et 1662. Hujus doctrina atque eloquentia plurimi fiebant, atque ejus opera, in quibus laudabantur in primis eruditio et sermonis elegantia, ab optimis Hispaniæ atque Italiæ jurisconsultis in exemplum vocabantur. Ea ejus percrebuerat fama, ut Avenionem duo jurisperiti Parisiis eum audiendi causa venerint. Tum, quamvis invitus multumque rogatus, nam sæpius jam senescentem mens deficiebat, ad se Parisienses admisisset, interrogantibus tam enucleate, tam venuste tamque scienter respondit, ut eos ingenti admiratione perculerit [1]. Mox vero delirio iterum captus est, et sui ipsius arbitrium non recepit [2]. Magnam quoque gloriam sibi comparavit Ludovicus Crozetus, doctor collegiatus et *Legum Comes* [3], cujus diligentia in implendo munere, et memoria ditissima studentibus adeo placebant, ut innumera, quum jus interpretaretur, circumdaretur corona. Orationes ille *Paranymphicas* scripsit atque librum laudationum de quo Sangenesius poeta :

Donasti eximias multis, Crozete, coronas,
Debita sed fronti est multa corona tuæ.
Laudibus ornasti innumeros, te laudibus ipsum.
Qui decoret dignis et satis ornet, abest [4].

Inter claros omnes et suæ gentis viros, et suæ ætatis jurisconsultos, clarissimus numeratur Josephus-Maria Suaresius, quamvis plurimam litteris operam dederit, qui *notitiam librorum basilicorum* edidit. Cujus frater Carolus-Josephus, Theologiæ doctor Universitati fuit aggregatus, deinde Primicerius. Ejusdem nepos Henricus Suaresius in artibus æque et legibus gloriam sibi peperit et plurima de jure scripsit [5]. Payanorum gens Suaresios fere laudibus æquavit. Nam Antonius Franciscus Payanus inclytorum et

1. Cadecomb., *ibid.*, p. 127. — Barj., *Dict.*
2. Barj., *ibid.*
3. Vid. infra ad pag.
4. Camb. de Vell., *ibid.* — Cadecomb., *ibid.* — Barj., *ibid.*
5. *Ibid.*, *ibid.* — *Biog. univ.*, t. LXIV, p. 135.

doctorum in numero fuit Avenionensium, vir Bartholi observantissimus, qui privatam Academiam « *Bartholistarum* » inscriptam instituit [1]. Ejus vel pater, vel frater Petrus Payanus, professor publicus et Primicerius, triginta aut plures etiam annos institutiones imperiales, codicem Justinianeum, *decretales* Gregorii IX, aliosque tractatus publice docuit [2]. Laudatissimi quoque fuere legum magistri duo Tonduti, « ex quibus Petrus ex Academia Avenionensi ad primam juris cathedram in universitate Andegavensi vocatus singularem in enucleandis difficilioribus quæstionibus laudem meruit, cujus filius Thomas jus canonicum ac civile Avenione pluribus annis egregie interpretatus est » [3].

Sub finem ejusdem sæculi minus in Universitate nostra floruisse videtur jus romanum, namque institutiones Justiniani, quæ per triennium antea docebantur, biennium tantum amplecti ab anno 1662 cœperunt [4]. Nihilominus Legum Facultas celebritate quadam gaudere non desiit ad annum 1671, atque ultra etiam, quum Universitas Avenionensis Universitatibus Valentiæ et Tolosæ a Burgundionibus anteponeretur, ut quæ peritiores docendi magistros [5] haberet (1683).

Insequenti ætate jus gallicum publicam Avenione cathedram obtinuit, quæ anno 1700 condita est [6]. Sub idem tempus floruit Paulus Cadecombus, qui *novam disquisitionem legalem,* anno 1702, typis mandavit, de quo æqualis et

1. Camb. de Vell. — Cadecomb., *ibid.*

2. Barj., *ibid.* — Cadecomb., *ibid.*, p. 129.

3. Specul. ill. jur. interp., p. 20. — Mentione etiam digni sunt Antonius Genetus et filius ejus Franciscus, qui proavi Ægidii jurisperitissimi vestigia secuti sunt, Hieronymus-Martinus de Sancto-Reme, Franciscus *Pertuis* atque Angelus *Gollier*, probabiles satis legum doctores. Quorum laudem sane oppressit Franciscus *Balderchi,* Perusinus, jurisconsultorum hujus ætatis peritissimus, qui publicus professor fuit a civitate conductus anno 1668 (Barj., *Dict.* — Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 217.

4. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 146.

5. *Mém., etc., ibid.* — *P. relat. à l'Univ. d'Avig.*, t. II, f° 96.

6. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 241 v°.

juris æque periti Ludovici Bernardi Royerii illud testimonium habemus :

> Mersit se vasto Cadecombus in æquore legum :
> Emersus cupidis rapta coralla dedit [1].

Laudavit et Cadecombum Josephus Crozetus-Buisson, doctor Universitatis collegiatus, qui, musas ut coleret, leges paululum sæpius reliquit; in quo eum imitati sunt quidam alii octavi decimi sæculi jurisconsulti Avenionenses [2]. Ex ceteris, qui jus unice excoluerunt, major pars obscuritate sua videtur oppressa. Horum vix tria nomina exstant, Josephus *Poulle,* Gabriel-Joannes-Raymundus Oliverius, et Josephus-Siffredus *Salamon,* quorum fama vix regionis et civitatis suæ fines excessit [3]. Ea jam ætate Legum Facultas obsolescere cœpit; Universitatem Avenionensem claris viduatam doctoribus, quorum gratia enituerat, deseruerunt studentes, et peritissimos magistros alio quæsierunt. Nam Dionysius-Franciscus-Regis *Valoris* Almam parentem Academiam Avenionensem, in qua doctoralem lauream acceperat, fugit, ut Romam celeberrimum Gaetanum *Forti* adiret [4]. Multi quoque, ut conjicere licet,

1. Barj., *Dict.*
2. *Ibid.*
3. *Ibid.* Multos quidem inter æquales suos nominat Paulus Cadecombus. Dominum d'*Honoraty,* qui *uti sydus splendidum inter cæteros relucet,* Franciscum *de Tache,* virum *scientia et maturitate judicii commendandum,* « Ludovicum Henricum *de Guyon* Rotæ Avenion. decanum in omnibus civili prudentia insignem, Josephum *Isoir* eruditum et singulari prudentia ornatum, Paulum *de Salvador* Rotæ Avenion. auditorem meritissimum, virum non minus integritate quam eruditione conspicuum, Joannem-Franciscum *de Gay*, Michaelem *de Benoit* Rotæ Aven. auditorem, Franciscum-Sebast. *Calvet,* Philippum *de Tulle* canonicum ecclesiæ Metropolitanæ Aven., Ignatium *de Benoit* pro tempore Primicerios tum nobilitate tum doctrina illustres, aliosque hujus sæculi non minoris famæ atque eruditionis, qui publice Avenione jura professi vel interpretati, monumenta typis ediderunt, quibus, velut ex ungue leones et vires metiri licet ex æquo » (Cadecombi de prim. Univ. erection. fragmentum in volumine cui titulus *Univ. d'Avig.*, t. I.; *Hist.*, f° 45).
4. Barj., *Dict.*

ejus exemplum secuti sunt, ita ut Universitas nostra pæne conciderit, antequam omnino abrogaretur.

Avenione igitur Leges nunquam ab Universitate condita, nisi brevi trium annorum intervallo, edisci cessarunt; neque ulla alia Facultas, aut diutius viguit, aut tantos habuit magistros ac discipulos. Ea enim per totum quartum decimum sæculum et per priorem quinti decimi partem floruit, et clarissimos vicinarum regionum doctores arcessivit; altera quinti decimi sæculi parte retro relata est, rursus per totum sextum decimum et majorem septimi decimi partem splendere, et nobilissimis magistris extraneis gaudere non desuevit; denique octavo decimo tantum sæculo corruit, egregiis professoribus et pristina simul laude destituta.

CAPUT III

DE LITTERIS ET DE FACULTATE ARTIUM

Quarto post millesimum a Christo annum sæculo et superioribus etiam temporibus, Avenionenses profecto litteris studebant, quamvis Artium Facultas, bulla Bonifacii VIII edita, sed inani tantum decorata titulo, sileret [1]. Quo tempore fuerit reipsa instituta, nescimus : jam dudum creata fortasse fuit antequam Achates Longus (*Long*), humanarum artium peritissimus magister, Avenione fuerit grammaticam, rhetoricam et poesim [2] professus anno 1491,

1. *Pièces relat. à l'Univ. d'Avign.*, t. IV, f° 2 v°.

2. Latinam intelligimus poesim, namque Provincialis jam a principio quinti decimi sæculi, si Nostradamo credimus, perierat (Nostr., *ibid.*, p. 547 et 582).

qui tamen, ni fallimur, habendus est primus Litterarum Facultatis parens [1]. Huic haudquaquam vel ingenio, vel fama concessit Ægidius, vel potius Gellius Bernardinus, Parmensis, *Palinuri* auctor, qui Avenionem a Clemente de Ruvere Legato summi Pontificis arcessitus, poesim docendo ita omnium suffragia tulit ut a Concilio civitatis, anno 1497 ante diem octavum Idus Martias, summis laudibus in officio pergendo excitatus fuerit, atque florenis centum et quinquaginta quotannis donatus [2]. Solitam agnoscimus liberalitatem civitatis, quæ, seu fuerit, seu non fuerit adhuc Artium Facultas, litterarum professores a studentibus desiderari noluit. Bernardinus autem, sive domi, sive publice in Universitate artem suam tradiderit, discipulorum aut numero non sufficiebat, aut otio vel feriatis horis se minus accommodabat. Nam, ejusdem anni Maio mense, Bartholomæu de Riquetis in conventu Prædicatorum Avenionensium, cujus ipse Prior fuit, collegium fundavit, in quo tres et viginti novitii grammatica, artibus, cantu et theologia erudirentur [3].

At Artium Facultas, si modo fuerit jam instituta [4], mox tam brevi temporis spatio concidit, ut ejus nulla vestigia videamus. Quin imo, in legibus ab episcopo Alano [5] latis

1. *Délibération du conseil de ville du 8 août 1491.* — P. Achard, *Ann. de Vaucl. de 1854*, p. 245 en note. — Avenione tamen reperimus quemdam Joannem de Saluciis, qui scholas publicas dirigebat anno 1458 vel 1478. Nescimus an ille litteras docuerit *(Délib. du cons. de ville du 18 décembre 1478 ou 1458)*.

2. Barj., t. I, p. 184. — Camb. Vell., *ibid.*, t. IV, f° 159. — *Registre des délibérations du cons. de ville*, t. V, f° 119. — P. Achard, *Ann. de Vaucl. de 1840*, p. 94 et 95.

3. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 72 v°. — *Fragm. ex libro conclusi. Univ.; P. rel. à l'Univ. d'Avig.; Hist.*, t. I, f° 51.

4. Dicitur in bulla Sixti IV, qua erectus est archiepiscopatus Avenionensis anno 1471, *studium generale* quarumlibet facultatum tum Avenione viguisse. Nihilominus valde veremur, ne Artium Facultas usquam alibi, nisi in membranis, exstiterit. Ad bullam Bonifacii VIII allusisse nobis videtur Sixtus IV. (Vid. *Bullam Sixti IV apud Nouguier*, 181).

5. Alanus, Coetivorum celeberrima apud Britones gente natus, sedem Avenionensem occupavit ab anno 1438 ad annum 1474.

ceteræ nominantur Universitatis Avenionensis Facultates, verum de Artium Facultate nulla fit mentio [1]. Eadem etiam, sequenti sæculo, siletur in concilio doctorum Avenionensium anno 1502, ante diem duodecimum Kal. Jun. habito, *pro reverentia impendenda R^mo in Christo Patri Domino Galeoto de Ruvere..... in præsenti civitate gubernatori deputato et Vice-legato* [2]. Quem profecto Artium Facultas, si qua fuisset, salutatum ivisset.

Quæ quidem, paulo post circa annum 1520, viguisse videtur ex testimoniis quorumdam scriptorum, a quibus Michael Nostradamus Avenione litteris studuisse fertur philosophiamque didicisse [3]. Attamen Artium Facultas, circa idem tempus, certe restituta fuit. Id enim conjicere licet ex eo quod de illa fit mentio in bulla Clementis VII anno 1531 data [4]. Verum an ipsa diu perstiterit dubitamus. Nempe prosperitati ejus impedimento certe fuerunt tumultus armorum, civiliumque bellorum furor. Namque Avenio per priorem sexti decimi sæculi partem copiis regis Galliarum pervia fuit, quæ in Italiam transmeabant [5]. Deinde adversus urbem ipsam *Hugonoticorum* sæviit rabies. Sed ubi diuturnæ beneficio pacis (quæ litteris solet esse commodissima) recreata est Avenio [6], tum quoque florere cœpit, ni fallimur, Artium Facultas.

Hujus restaurationis laus omnis referenda est ad Patres societatis Jesu, qui depressas civilibus bellis litteras, sub finem sexti decimi sæculi restituere conati sunt. Namque, anno 1596, doctissimi Patres, Avenione ab anno 1564

1. *P. relat. à l'Univ. d'Avig.; Docum. div.*, 2^e *partie*, t. III, f° 3.

2. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 74.

3. Moréri, *Diction. — Biogr. univ.* — Bayle et Tillage, *Bibliogr. médic.*, t. I, p. 206. — Cæsar Nostradamus, Michaelis filius, egregie Avenione se eruditum fuisse dicit, sed magis legibus, ut opinamur, quam litteris studuit. Amicam tamen, Angelicam *Françon*, se carminibus celebrasse fatetur. (Nostrad., *ibid.*, p. 443 et 446.)

4. *Bullar. Aven.*, p. 76.

5. Nostrad., *ibid.*, p. 742 et 750.

6. Guérin, *Abrégé de l'Hist. d'Avig.*, p. 93.

collocati [1], *quum alliciendos esse scholasticos ad bonas artes et ad philosophiam* [2], *idque publicæ utilitatis esse* concilio doctorum ostendissent, ab eo impetraverunt ut potestatem haberent, quum instituendi in suo collegio philosophicum studium, tum promovendi Baccalaureos magistrosque in artibus: ea tamen lege, ut id tantummodo facerent « *nomine dictæ Universitatis subque auctoritate R^mi domini illius Cancellarii, ad instar aliarum Universitatum ubi idem cursus habebatur* », atque Magistrorum ac Baccalaureorum creationi adforet Primicerius, id est Rector Universitatis [3]. Insequenti igitur anno, ante diem quartum Kal. Maias, studentes undecim Baccalaureatu in artibus donati sunt a doctoribus Avenionensibus. Unde renovari cœpit Artium Facultas, quæquidem suam quoque tum argenteam habuit virgam, insignibus Universitatis decoratam, et ante ipsos magistros ac baccalaureos a *Bedello* in solemnitatibus deferendam [4].

Ita sunt adscripti societatis Jesu Patres in numerum doctorum Avenionensium, cum quibus concordare diu non potuerunt. Mox enim pacta cum universitate inita infirmare et convellere enisi sunt. Jus promovendi magistros et baccalaureos contra fidem usurpabant. Coram archiepiscopo, Universitatis Cancellario, quem in suas partes fortasse traxerant, coramque doctoribus minime quidem aggregatis, atque medicis etiam quibusdam, quos ipsi proprio arbitrio judices ceperant, discipulos interrogabant suos, eorumque doctrinam ita benigne periclitabantur, ut eos, quamvis aut male, aut nihil respondissent, facillime, si recte conjicimus, laurea ornarent. Quod maximo et Universitatis et litterarum detrimento fiebat. Doctores autem aggregati graduum in artibus conferendorum sibi solis facultatem vindicarunt :

1. PERRIN, *Etats Pontif. de France.*, p. 113.

2. Philosophiam inter bonas artes, id est litteras, comprehendi contendit Cæsar Nostradamus. — (NOSTRAD., *ibid.*, p. 543.)

3. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 85 v°, 86, 87. — *Univ. d'Avig.* t. I; *Hist.*, f° 56.

4. *Ibid.*

neque hoc eis negare Patres ausi sunt (1604). Deinde, anno 1607, ne talis rursus oriretur controversia, in consuetudinem venit doctorem legum aggregatum eligi, qui scholasticam turbam in Artibus promoveret [1].

Hujus nominationem, eodem anno, societatis Jesu Patres, inscio Primicerio, sibi arrogare voluerunt : atque etiam, quanquam Primicerius, re cognita, jus Universitatis vindicaverat, nihilominus incepta persecuti sunt et suis discipulis seu baccalaureatum, seu magisterium, sine Primicerii, aut Universitatis assentatione contulerunt. Hinc exorta contentio : anno 1610, Primicerio invitanti ut sponte a jurgio desisterent, responderunt, se de ea re transigere non posse, nisi a Patre Provinciali jussi, quem Avenionem brevi venturum pollicebantur. Primicerius, ut rem de industria produci sensit, diligentissime providit ne quid detrimenti Universitas caperet, neve sua ipsius auctoritas imminueretur. Itaque typographum *Bramereau* ad se vocavit, vetuitque ne typis mandaret, nisi ex sua licentia, « *assertiones* » vel disputationes scholarium, qui declaraverant sese gradum baccalaureorum, quem *ex prescripto* patrum acceperant, minime meruisse. Ac simul de ea re ad Jesuitarum patrem generalem scripsit, qui respondit, se Patres quidem improbare si discipulos ab assumendis Universitatis gradibus deterruissent; non tamen eis imperare posse, ut scholares ad illos gradus sumendos hortarentur. Tum vero tentata omni amica via, quum die dicta de *assertionibus* disputatum non venissent quidam e scholaribus Patrum, qui jam petierant verbo tenus ut in eorum thesibus verba illa « *pro Baccalaureatu* » apponerentur, rursus eumdem *Bramereau* Primicerius vocavit, vetuitque ea in disputationibus typis mandatis, sine expressa licentia sua apponi. Tres ideo redierunt scholares, quibus est concessa Primicerii licentia. Eam vero in thesibus imprimere recusavit *Bramereau*, atque, licet ad illam diem professus fuisset se prohibitionibus obsecuturum, intercessit.

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 99 et 102.

Namque contendebat « *nullam* Primiceriis laicis *jurisdictionem competere,* aut si qua competeret, *per se ipsos eam exercere* non posse ». Quod quum typographus ausus esset, patrum auctoritate fretus, qui jam amicorum officiis et concursatione utebantur, mox Legatus Prolegato mandavit, ut ipse videret quo ex jure, aut qua ex jurisdictione Primicerius typographum prohibitionibus coercuisset. Continuo Primicerius, cujus ita in discrimen adducebatur auctoritas, Prolegato commentariolum misit, in quo exponebat quæ fuissent suæ severitatis causæ, idoneamque dilationem impetravit, ut colligeret documenta, ex quibus se de jurisdictione atque auctoritate sua fidem facturum promiserat. Congregato deinde Universitatis collegio, anno 1611 ante diem octavum Kal. Mart., amplissimos doctores hortatus est, ut de conservandis privilegiis suis deliberarent. Placuit eis eligi octo e collegio doctores, quibus plena atque absoluta, cum domino Primicerio, potestas committeretur agendi quodcumque controversiæ expedire judicarent, usque ad perfectam totius jurgii compositionem. Patres autem, qui se paulatim privilegiorum maximam partem usurpaturos speraverant, atque Universitatis ipsius jurisdictionem impugnaverant, quum res parum successisset, illud tædium ægre videntur tulisse. Nam eorum molestiam ex eo cognoscimus, quod in thesibus defendendis, noluerunt Primicerium ante civitatis Vicarium et Consules nominari a studentibus atque salutari. Hac irreverentia omnium doctorum iram in se concitaverunt, qui imprimendis discipulorum Patrum *assertionibus* licentiam, anno 1621 ante diem tertium decimum Kal. Maias, recusare decreverunt. Interea de baccalaureis atque magistris in Artibus promovendis lis adhuc pendebat : anno enim 1626 R^dus^ Patrum Rector a Primicerio impetrare conatus est, ut res in pristinum statum reduceretur. Quæ conciliatio, magis ac magis dilata, anno 1670 tandem a Primicerio fuit accepta[1].

Quicumque fuerit jurgii finis, certum est Patres societatis

1. *Ibid.*, f^os^ 104, 107, 112, 114, 165.

Jesu discipulorum numerum et litterarum splendorem egregia disciplina mirum in modum auxisse [1]. Optimos enim tunc habuere professores, Antonium Possevinum, Mantuanum, oratorum dissertissimum, Joannemque Belmesum Gabalensem, duos quoque fratres Ludovicum et Gerardum Gerardinos Leodienses, atque Antonium Morelum Rutenum, omnes collegii conditores [2]. Horum vero inter successores nominandi sunt Antonius Columbatus atque Andreas Valladerius, quorum Peireskius, utriusque alumnus, non doctrinam modo, sed prudentem diligentiam solertemque curam laudabat [3]. De Antonio Columbato ejusque scriptis nihil adhuc novimus, sed Valladerii *orationes latinas* circa antiquitates Avenionenses pervolvimus, et virum latini sermonis peritissimum atque in rebus historicis doctissimum agnovimus. Ejus fere æqualis Henricus *Albi* Avenionenses Patres, anno 1606, adiit, apud quos grammaticam, rhetoricam, philosophiam et theologiam postquam docuit, collegii Rector ipse factus est, vir sane haud illiteratus, qui multa edidit opera, inter quæ laudationes vel potius historias cardinalium animadvertimus. Eximius fuit etiam Antonius Michaelis rhetoricæ ac philosophiæ professor, qui plurimam quoque eloquentiæ gloriam retulit. His in docendo æquiparandus est Petrus Ludovicus *de Camaret,* qui e vita, anno 1693, Avenione decessit [4].

Nobilissimi etiam eo tempore informati sunt a Patribus societatis Jesu discipuli [5]. Quorum forsan celeberrimus fuit Peireskius, qui per quinquennium apud eos litteris studuit (1590-1595). Avenione quoque eruditus est Joannes *Columbi,* opusculis historicis vir notissimus. Ea denique fama Universitati nostræ ex opera Patrum, septimo decimo ineunte sæculo, contigerat, ut Joanna Morella, doctissima

1. Perrin, *ibid,* — Vallad., *ibid.*
2. Nostrad., *ibid.*, p. 800.
3. Gassendi, *Vita Peireskii.* — Barj., *Dict.*
4. Barj., *Dict.*
5. Nescimus an Honorius Henricus, qui commentaria de bello civili reliquit, a Jesuitis educatus fuerit. (Barj., *ibid.*)

puella, quæ duodecimum annum agens theses tum logicas, tum morales, Lugduni Gallorum in paternis ædibus jam proposuerat, Avenionem doctoralem lauream assequendi causa cum patre anno 1610 devenerit [1].

Avenione autem ceteri monachorum ordines Jesuitarum ordinem, quem tantum in litteris colendis vel docendis proficientem, tantaque laude ornatum videbant, æmulabantur. Circa initium septimi decimi sæculi duæ scholæ conditæ sunt in Minimorum conventu, quarum in altera discipuli physicam, in altera vero metaphysicam docerentur, cum magno concursu audientium, qui numerum centum et viginti excesserunt. Anno autem 1608 Patres Minimi tributum ter centum librarum acceperunt a senatoribus Avenionensibus, qui, de collegio Jesuitarum Patribus istis auferendo illisque committendo, deliberationem habuerunt. Res tamen nequaquam incepta videtur fuisse [2].

Neque a clericis tantum ingenuæ artes colebantur; laici jurisperiti litteras, in quibus eruditi fuerant a pueris, minime deserebant; imo ab eis molesti atque ingrati laboris remissionem petebant. Aliquid nempe a legum studio remittebat aliquando Gabriel Pupus, qui primus Avenionis

1. Barj., *ibid.* — Camb. de Vell., *ibid.*, t. III, f° 69 v°. — *Biblioth. Andreæ Schotti*, p. 343.

2. Barj., *ibid.* — Paul Achard, *Ann. de Vaucluse de 1854*, p. 248. — Eodem sæculo, Joannes-Antonius Rampallus, cognomine frater Petrus sancti Andreæ, ex ordine Carmelitarum excalceatorum, quorum historiam scripsit, philosophiam apud eos et theologiam docebat. Sequenti autem ætate, Josephus Galienus eodem apud Dominicanos officio fungebatur. Is, anno 1755, artem navigandi per aera jam excogitabat. Joannes-Maria de Olonna, Carmelita excalceatus, *Lexicon Hebraico-Chaldaico-Latino-Biblicum* excudebat. Josephus-Joannes *Rive* abditissimas sapientiæ latebras sancti Caroli seminarii studentibus aperiebat (1753-1754). Avenione etiam quatuor tum erant seminaria : Primum, anno 1669 conditum, a Patribus Oratorii ordinis dirigebatur; secundum, sancti Caroli nancupatum atque anno 1702 institutum, Sulpicianis committebatur; tertium, sanctæ Gardæ dictum, a domino *de Salvador* anno 1710 fundatum fuerat, quartum denique, vocabulo *missionum (missions)* tunc inscriptum, non solum loco, sed omnibus etiam reditibus collegiorum sancti Nicolai et de *Ruvere*, quæ in unum jam convenerant, utebatur. (Paul Achard, *Ann. de Vaucl.*, p. 249.)

origines per temporum obscuritatem dignoscere est conatus. Sæpe a causis dicendis sese distrahi patiebatur Benedictus Bertrandus, ut scriberet historiam civilium bellorum, quibus Venaiscina tota regio sexto decimo sæculo turbata est. Strenuus ipse miles, Ludovicus *de Perussis,* ensem stylo mutabat, candidi vir ingenii, constantisque fidei, qui eadem simplicitate atque virtute, qua pugnaverat pro sua religione, furores rabiemque Hugonoticorum et Catholicorum fideliter et vivide perscripsit [1]. Sed Sebastianus Seguinus jurisconsultus ita fuit latini sermonis peritus ut, qui ab æqualibus suis conferretur Sadoleto ac Mureto latinitatis illis magistris, dignus fuerit [2]. Franciscus Gaspardus *Guillermis de Gigognan,* dum ab officio advocati vacabat, librum scripsit, cui titulus est : *Historia Avenionensis et notabilia civitatis.* Litteras adeo diligebat Petrus David, jurisperitus et musis carissimus alumnus, ut Peireskium, qui jus ob eas sæpius omittebat, ab earum deliciis deterrere noluerit [3].

Multos prætermittere cogimur, quos aut vetustas oppressit, aut major numerus excludit; Mascaronem [4] tamen præterire non possumus, « *cujus opera stylo heroïco scripta, cardinalem Richelium Mœcenatem obti-*

1. Barj., *Dict.*

2. Medicus Antonius *Fiancé* doctissimi in græco et latino sermone viri famam obtinuit. (Barj., *ibid.*)

3. Barj., *Dict.* — Eadem ætate, Vulteus poeta Avenionem, veluti in tutum contra judices Tolosanos asylum confugit. Andreas quoque Alciatus, qui tum Avenione leges docuit, multam litteris operam navabat. Insequenti ætate mathematicas, quæ tunc inter artes numerabantur, jurisperiti quidam colebant, quorum præcipui sunt Petrus-Franciscus Tondutus et Antonius-Franciscus Payanus. Sic octavo decimo sæculo Thomas *Teyssier,* legum doctor aggregatus, qui, anno 1738, Primiceriatum egit, Paparum Avenionensium atque civitatis historias scripsit; Simo *Reboulet* litteras quoque et historiam præsertim tentavit; Ludovicus-Bernardus *Royer* plurima vernaculo illo et rustico Venaiscini Comitatus sermone carmina condidit. (Perrin, *ibid.*, p. 49. — *Biog. univ.* — Cadecomb., *Nov. disq. leg.*, c. 23).

4. Mascaronem alii Petronium, alii Petrum-Antonium nominant.

nere meruerunt [1] ». Mascaronis amicus Joannes Sangenesius, latinas musas a teneris secutus, eumdem est nactus patronum, familiaresque inter suos annumeravit nobilissimos viros Franciscum Barberinum, Herculem Audiffretum Flecherii avunculum, Balzacum, Menagium et Joannem denique Capellanum, cujus asperum de puella Francorum ultrice carmen incredibilem apud æquales laudem adeptum est. At Sangenesius, quum Lutetiam visisset, Avenionem brevi remigravit, ubi reliquam fere vitam, cum magno Parisiensium amicorum desiderio, absumpsit, ut patet ex ipsius disticho :

Hei mihi! cur Rhodano tam distat Sequana nostro?
Cur mihi dilecto non licet amne vehi?

Ejus carmina, quanquam non ita emendata, a quibusdam laudabantur; expilabantur etiam a quibusdam aliis, qui de ipso tacuerunt : satiræ sanam poetæ mentem rectumque judicium declarant, sed studio carent et ira [2]. Mentione quoque dignus est Balthazar-Franciscus de Merulis, quem magni Cassinus faciebat. Nam vir ille in poesi, picturaque et musica parem laudem assecutus est : mathematicæ etiam astronomiæque interdum se applicabat, et domus ejus litteratorum quasi domicilium fuit [3].

At omnium, quos jam nominavimus, laudem forsan superavit Josephus-Maria Suaresius, maximi quidem vir nominis apud æquales, a quibus sæpe, neque immerito, laudatur. Multum nempe in variis sermonibus latino, græco, italico et gallico denique profecit. Innumerabilia scripsit opera, in quibus apparent et felicissima ingenii facilitas, et lautissima omnium rerum eruditio. Ita doctrinam ejus eloquentiamque probaverunt Romani, apud quos diu vixit, ut

1. Cadecomb., *Nov. disq. leg.*, c. 23, p. 129.
2. Barj., *Dict.*
3. *Ibid.* — Circa eadem tempora nominatur a Paulo Cadecombo Andreas Mæstralus, græcis litteris eruditus (*Fragment. de prim. Univ. Aven. erect.; Univ. d'Avig.*, t. I.; *Hist.*, f° 45 v°.).

eum civitate patriciaque dignitate decoraverint. Idem, summa in litteras benevolentia accensus, monasteria condidit, disciplinas restituit, multumque adjuvit creationem illius *Æmulatorum* Academiæ a Prolegato Joanne-Nicolao *Comti* Avenione, anno 1658, erectæ [1].

Forsan operæ pretium facturi sumus, si pauca adjicimus de illa Academia, quæ Avenionensium liberalia studia, pene jam exstincta, rursus excitavit; gymnasiaque et disciplinas, quæ grave detrimentum acceperant ex recentibus civitatis dissensionibus [2], in pristinum splendorem restituit.

Ante annum 1658, aliquot jam viri et genere et doctrina maxime conspicui, sive in Litterarum republica nomen adipisci, sive Academiam illam gallicam a cardinale Richelio, anno 1635, conditam, totoque orbe brevi celeberrimam imitari voluerint, certis diebus convenire, et de rebus litterariis disserere solebant. Joannes-Nicolaus *Comti,* Avenione tum Prolegatus, quum multa de conventiculis illis præclara audivisset, ea in domo sua haberi ita vehementer cupivit, ut ejus votis docti viri obsequi festinaverint. Horum prudentissima colloquia Prolegati admirationem ita accenderunt, ut ille peritissimorum virorum societatem arctiore vinculo stringere voluerit. Ex illa igitur Academiam, ad earum exemplar quæ jamdudum in Italia vigebant, informavit, cujus ipse se patronum declaravit. Cumulatissime gratiam Academici Prolegato retulerunt, atque rectorem, ut ei morem gererent, cancellariumque et scribam elegerunt: deinde composuere societatis leges ac statuta. Mox Æmulatorum Academia, anno 1658, ante diem nonum Kal. Februar., fuit in apostolico palatio inaugurata, coram Prolegato, cujus laudes Rector Pompeius-Petrus *de Moiroux* apparata oratione celebravit: deinde approbata et promulgata sunt statuta, a primis confecta academicis, quorum hæc sunt nomina: Joannes-Nicolaus *Comti,* Academiæ protector vel princeps, Pom-

1. Barj., *ibid.*
2. Teyssier, *Hist. ms d'Avig.*, t. II, f° 267.

peius-Petrus *de Moiroux* Rector, Julius-Cæsar *de Perrault* Scriba, Gedeo de Villanova et Franciscus-Felix *d'Aymar* [1].

Assidue conveniebant Academici. De utilibus sæpe, vel singularibus atque reconditis inter se rebus conferebant : orationes et carmina componebant, quibus ipsa societas laudabatur. Avenionensium doctissimos, vel amplissimos, non solum ad se vocabant; sed multos etiam ex vicinis partibus, extraneos veluti Academicos, sibi cooptabant collegas, quo factum est ut eorum in dies creverit numerus [2]. Venerabile illud Æmulatorum collegium legatos ad omnes cærimonias mittebat. Quidquid fama dignum evenerat, egregie celebrabatur ab Academicis, quorum elucubrationes die noctuque expolitæ avidissime in tota civitate legebantur. In summa ipsi omnium habebantur veneratione; plurimi præsertim fiebant apud Prolegatos quorum patrocinio peculiariter adjuvabantur [3] : a summo etiam Pontifice approbati sunt, et maximis privilegiis atque immunitatibus ornati. Diu tamen non perstitit Æmulatorum Academia. Quo dissoluta fuerit tempore ac dissipata, nescimus [4]. At certum est eam plus quam viginti annos non perdurasse [5]. Ejus forsan discessio congruit cum ruina litterarum, quæ sub finem septimi decimi sæculi Avenione inclinare cœperunt [6].

Labentes tamen artes reficere amplissimi quidam viri, ea

1. Teyssier, *Hist. ms d'Avig.*, t. II, f^os 282-283.

2. In nobilissimum nempe illum litteratorum quasi senatum vicissim adscripti sunt Ludovicus *de Benoit,* legum doctor Universitati Avenionensi aggregatus, atque filius ejus; Joannes-Baptista Tondutus, Franciscus *de Moiroux,* Bartholomæus-Josephus *Henrici,* juris simul ac theologiæ doctor; Franciscus *de La Garde,* Petrus *de Lafont,* Ludovicus-Franciscus *de Brancas,* Petrus-Franciscus Tondutus, comes Palatinus atque sancti Petri eques; Franciscus *de Cambis,* marchio Velleronis; Samuel Sorberius, Cassanius, Salvador atque fratris ejus filius, et denique Crozetus *Buisson* omnes, ut apparet ex manuscripto nostro, Avenionenses; verum Josephus *d'Arlatan* et Dominus *de Biord* extranei. (*Ibid.*, f° 285.)

3. *Ibid.*, f° 286.

4. Barj., *Dict.*

5. Sorberiana, ad verbum *Academia*, p. 3, Tolosæ, anno 1691.

6. Fransoy, *ibid.*

tempestate, moliebantur. Namque, anno 1674, ante diem nonum Kal. Nov., multi e gravissimis civibus, qui gradus ab Universitate Avenionensi acceperant, rogaverunt ut Primicerius aggregationem magistrorum in artibus restitui juberet. Quorum ille vota minime dubitavit explere, imo rem statim ad collegium doctorum detulit, ubi omnibus placuit renovari aggregationem magistrorum in artibus. Octo igitur electi sunt doctores, quibus nova condendi statuta delata est provincia [1]. Quæ, quum approbata fuissent, Magistrorum in Artibus aggregatio, coram civitatis Archiepiscopo Universitatis Cancellario, Primicerioque et doctoribus aggregatis, anno 1675, ante diem alterum idus Februarias, restituta est. In qua cærimonia concionatus est Joannes *de Pont,* Artium magister, qui multa de nostra Universitate celebravit atque illustravit. Dixit enim eam in principio Leges, Theologiam, Medicinam atque Artes ex bulla Bonifacii VIII comprehendisse, sed postea artes neglexisse et quia ipsæ tribus aliis disciplinis continerentur, et quia nondum erecta fuisset philosophiæ cathedra; recentius autem, quum, anno 1666, a domino Dominico *de Marinis* ea cathedra fundata esset tantum studentium factum fuisse concursum, ut inde Artium Facultatis atque aggregationis renovandæ occasio arrepta fuerit [2]. Sic Artium Facultas, quæ paulo ante jam evanuerat, nova tum restauratione viguit, ita ut ancipiti semper usa sit fortuna, concidens vicissim et resurgens. Hæc enim, annis duodecim vix elapsis, rursus defluxit. Quippe tres tantum Facultates, Theologiæ scilicet, Legum, Medicinæ, anno 1688, deo congratulationem pro felici Philippoburgi a Gallis expugnatione fecerunt [3]. Aberat Artium Facultas, unde conjicere est eam etiam tum defuisse [4]. Præterea anno 1689, ante

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 176.
2. *Ibid.*, f°s 157 et 177.
3. *Ibid.*, f° 207.
4. Non nominatur Artium Facultas ab Archiepiscopo Avenionensi, qui, anno 1683, egregia de peritia jurisconsultorum, theologorum et medicorum Avenionensium dedit testimonia. *(P. rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. II, f° 96.)

diem tertium decimum Kal. Nov., a patre jesuita, rhetoricæ professore, habita est Archiepiscopi Avenionensis, Universitatis Cancellarii, funebris laudatio : humaniores enim litteræ ad collegium societatis Jesu se receperant [1]. Sed insequenti sæculo, illinc etiam aufugerunt, quum Patres ipsi jussu regis Galliæ, qui Avenione anno 1768 potitus erat, expulsi sunt. Quorum vices ita infeliciter impleverunt Patres *Benedictini,* ut eis civitas munus ademerit, successoresque elegerit Patres *Doctrinarios,* qui tamen jesuitarum laudem nunquam æquaverunt [2].

Interea Artium Facultatis in Universitate prope nulla mentio fit, quæ tamen videtur anno 1779 paululum resurrexisse, quo septemdecim studentes in numerum magistrorum in artibus adscripti sunt [3]. Unde nimiam ejus in gradibus conferendis deprehendimus facilitatem. Ergo antiqua gloria tum destituta Artium Facultas, indulgentia potius sua, quam celebritate discipulos alliciebat : sed quanquam dedecorata prope jam perierat, non tamen docere cessavit priusquam Universitas ipsa rescinderetur.

Sic Artium Facultas, inani diu titulo decorata, sub finem sexti decimi sæculi splendere cœpit, juvantibus jesuitis; deinde insequenti ævo claris aliquot viris gloriata est, denique octavo decimo sæculo paululum inclaruit, jurisconsultorum gratia, qui litteris potius quam legibus indulgebant.

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 209.

2. Paul Achard, *Ann. de Vaucl. 1854,* p. 250.

3. *P. rel. à l'Univ. d'Avign.; Docum. div.* 2e part., t. III. — Universitas Avenionensis ultimum fere inter celeberrimos educavit alumnum cardinalem *Maury,* qui litteris et Theologiæ quinquennium (1760-1765) studuit in collegiis sancti Caroli et sanctæ Gardæ. (Barj., *Dict.*, t. II, p 160.)

CAPUT IV

DE MEDICINÆ FACULTATE

Quamvis decreta fuerit in bulla Bonifacii VIII, nondum tamen exsistebat, nisi inani titulo, Medicinæ Facultas annis 1303 et sequentibus. Clarissimi medici nihilominus Avenione vitam degebant, vel e Gallia, vel ex Italia accersiti, quos inter maxime conspicui Joannes de Alesto, Arnaldus de Villanova [1], Franciscus de Stabili [2], Gentilis Fulginas [3], Dinus Florentinus [4], Joannes Parmensis [5], Guido de Chauliaco [6], Chalinus de Vinario [7] minime prætereundi sunt. Quarto decimo sæculo, indigenæ etiam Judæi doctissimos inter physicos et chirurgos numerabantur [8]. Sed Avenionenses, si qui tum forte erant, medici, aut inter,

1. Joannes Alesiensis et Arnaldus de Villanova Clementis V favore protecti fuerunt. (E. RENAN, *Revue des Deux-Mondes* du 1er mars 1880, p. 136). — Arnaldus de Villanova a quibusdam habetur veluti impudens circulator. (*Hist. litt. de la Fr.*, t. XXIV, p. 471.)

2. Fr. de Stabili, aliter *Cecco d'Ascoli*, veluti magus et hæreticus Florentiæ, anno 1327, ab inquisitoribus combustus est. (*Petrar. rerum senil*, lib. XII, ep. 2). — BARJ., *Dict.*

3. VALLAD., *ibid.* — BAYLE ET THILLAGE, *Biogr. médic.*, t. I, p. 137.

4. *Ibid., ibid.* — Platina.

5. Joannes Parmensis « magnum sibi nomen, non in patria solum, sed in Romana Curia..... pepererat : ita ut primus inter primos numeraretur » (Petrar).

6. VALLAD., *ibid.* — *Hist. litt. de la Fr.*, t. XXIV, p. 475.

7. BARJ., *Dict.*

8. Concil. Aven. anni 1337. — Synod. Aven. an. 1341. — Anno 1358 quinque Judæi, duo scilicet chirurgi et tres medici Innocentio VI fidem suam, sacramento Avenione, obstrinxerunt. (*Arch. d'Avig.*, 32. P. K. K. nº 34).

aut infra mediocres ponebantur, tertio tamen propiores ordini quam secundo.

Initio autem insequentis ævi, jam videtur Avenione exstitisse Medicinæ Facultas, ad quam alludit Joannes XXIII in bulla anno 1414 data [1]. Sed nescimus a quo, vel quo anno condita fuerit. De illa etiam fit mentio in statutis ab Alano episcopo confectis, qui sedem Avenionensem ab anno 1438 ad annum 1474 occupavit [2]. Ut obscura recentis Facultatis initia, ita tenuis primum gloria fuit. Penuria peritorum physicorum Universitas adeo laboravit, ut circa annum 1475, Julianus de Ruvere, primus Avenionis archiepiscopus, Italum secum duxerit medicum Hugonem Genuensem [3]. Consules etiam civitatis duras et graves leges accipere coacti sunt, quibus, anno 1480, ante diem octavum Idus Maias, Guillelmus Imberti, civis Avenionensis, medicus vero in Universitate Montepessulana factus, se publicum medicinæ professorem offerebat. Qui, quamvis se duobus magistris, qui tum docebant Avenione, Petro *Robini* [4] et Joanni *Guillermi,* si non superiorem, parem quidem esse existimaret, Medicinam tamen non restituit [5]. Namque anno 1493 Avenionenses e Montepessulano ad se acciverunt Joannem *Guillermi,* cui centum florenos quotannis, ut artem profiteretur suam ac traderet, dederunt [6] : anno etiam 1529, magistrum Emmanuel de Latis Judæum, medicinæ professorem, menstruo quinque scutorum stipendio, conduxerunt [7].

Quanquam in principio ferme fuit ignobilis Medicinæ Facultas, diu tamen cum varia perstitit fortuna. Mox, civi-

1. Repertorium Universitatis (*Univ. d'Avign.*, t. I; *Hist,* f° 320 v°).
2. *Ibid., Docum, div.*, 2e part., t. III, f° 3. — Nougier, *ibid.*
3. Vallad., *ibid.*
4. Nescimus an Petrus ille *Robini* idem sit atque Petrus *Robin,* Renati regis medicus, de quo Nostradamus loquitur in historiis. (*Hist. de Prov.*, p. 628 et 649).
5. Camb. de Vell., *ibid.*, t. IV, f° 259.
6. *Ibid.*, f° 120.
7. *Ibid.*, f° 181.

lium bellorum tempore, si non omnino siluit [1], certe paulisper tacuit. Paucos enim tum Avenione reperimus medicos, qui tali digni sint nomine. Verum cernimus « *magnam copiam empiricorum et impostorum in hac civitate impune vagantium* » ; quorum numero adeo minuebatur « *auctoritas et celebritas antiqua medicinæ professorum* », ut plurimi dedignarentur doctorum lauream in Academia Avenionensi suscipere. Inde magnum Universitati et civitati detrimentum, quum « *emolumenta hic mansura ad alias Academias* » averterentur. Caverunt doctores medici aggregati ne diutius Universitas tantis incommodis esset obnoxia. Anno 1577 leges statuerunt, quibus « *Pharmacopolæ, chirurgici, tonsores, aliptes, renuctores, obstetrices, omnesque empiricia Medicina facienda* » prohiberentur. Solis doctoribus in medicina aggregatis fas erat chirurgiæ artem publice profiteri et discipulos docere. Hebræis negabatur medicinæ exercendæ facultas, nisi a summo Pontifice vel Legato licentiam ipsi obtinuissent, atque eruditionem peritiamque coram doctoribus aggregatis publice probassent [2]. His reparata legibus et firmata Medicinæ Facultas paululum statim resurrexit, quum inter doctores admisisset Antonium *Fiancé,* virum non minus doctrina, quam nobili vitæ impensa notum. Is enim, postquam celeberrimos Montepessulanæ Academiæ magistros diu audiverat, medicinam Carpentoracti magna cum invidia æmulorum exercuit, quos in satira, cui titulus *Platopodologia,* deridendos propinavit. Arelaten deinde migravit, ibique artem factitavit. Bene in primis de Avenionensibus promeritus est, namque, anno 1580, civitati gravissima

1. Certe non omnino siluit Medicinæ Facultas : etenim nominatur in bulla Clementis VII, anno 1531 data, et in libro conclusionum Universitatis Avenionensis, in quo legimus Manaldum Guillelmum in locum patris suffectum fuisse medicinæ professorem vel *Legentem cum stipendiis solitis et consuetis,* anno 1527 et die 19ª maii mensis. (*Univ. d'Avig.*, t. I; *Hist.*, fº 52. — *Bull. Civit. Aven.*, p. 76.

2. Statuta medicorum Aven. an. 1577. (*Univ. d'Avig.*, t. I; *Hist.*, fº 155 et 156.)

peste correptæ strenue succurrit, propriæ salutis oblitus. Dum ægrotantes maxima cum diligentia incautus curaret, ipse terribili morbo occubuit, summa spe ingenii præditus juvenis, qui laudatissimos medicinæ magistros, sine dubio æquasset, nisi mors immatura eum abstulisset [1]. Sub finem sexti decimi sæculi novum certe decus Universitati adjecit inclyta illa Guillenorum [2] familia, « in qua pater, ait Valladerius, proavus, abavus, atavus, tritavus, et avi præterea fratres duo, continua successione medici extiterunt. Non qui ex circo solent circumforanei, aut quadrantarii, aut de lapide empti, sed omnes ad unum illa gloria præcellentes [3] ».

At sequenti ineunte sæculo rursus medicina Avenione elanguit. Namque circa annum 1602, septimo pontis Avenionensis arcu rupto, omni statim commercio et societate cum Occitanis populis urbs prohibita est, et Avenionem emigrare studiosa tum cessavit juventus, quæ dexteram Rhodani ripam incolebat. Ideo curia, ne civitas a scholasticis desereretur, novos publico sumptu conduxit professores, quos inter Medicinæ quatuor magistros [4]. Adjuvante egregia illa civitatis liberalitate, florere iterum cœpit Medicinæ Facultas. Dionysius enim Christianus, qui tum forte vivebat, usu et doctrina cum Guillenis jure conferendus erat [5]. Andreas etiam Laurentius, celeberrimus chirurgus, ita arte enituit, ut Henrici IV, Galliarum regis, factus fuerit medicus. Discessu tanti viri ars curandi civitatem ipsam deseruisse videbatur. Sed aliquot post annis Medicinæ decem et octo magistri Avenione numerabantur [6].

1. Barj. *Dict.* — Mors Antonii in epitaphio sic lugetur :

Auferor ante diem : quod si mihi longior ætas,
Æquassem Coum Pergamenumque senem.

2. De nobilissima illa gente vide Nostradamum in historiis ad paginam 450.
3. Vallad., *ibid.*
4. Teyssier, *Hist. ms d'Avig.*, t. II, f° 213.
5. Vallad., *ibid.*
6. Vallad., *ibid.* — Nostradamus, *Hist. de Prov.*, p. 743. — *Mém. sur l'Univ. d'Av.*, f° 110.

Post mortem Dionysii Christiani mutatum est aliquid in regimine Facultatis. Hactenus Medicinæ professor a collegio doctorum ad vitam eligebatur. Statutum est, anno 1617, ut ille deinceps ad triennium tantummodo nominaretur; quo tempore elapso, alteri cathedram cederet. Ea fuit ratione Lupus Ribera in locum Dionysii Christiani, eodem anno, ante diem tertium Nonas Maias, suffectus [1].

Avenio, paulo post, clarissimos sane habuit et chirurgos, Petrum *Gouget* et Rolandum Provinciam, et medicos veluti Claudium *Bonnet;* quos quidem civitas, quum pestis instaret, anno 1628 conduxit, ut ægrotantibus subvenirent [2]. Tum etiam Montepessulanam Medicinæ Facultatem, quæ, sicut antea, Avenionensem prægravabat, doctores Avenionenses, quantum potuerunt, æmulati videntur fuisse [3]. Studentibus enim deinceps per triennium artem suam tradebant, et corporum anatomiæ, quæ fere neglecta antea fuerat, impensius sese applicabant. Anno 1696, mensa ingens e ligno fabricata est, in qua facilius ars anatomica monstraretur [4]. Paululum igitur vigere cœperat sub finem septimi decimi sæculi Medicinæ Facultas. Doctores aggregati « *muneribus partibusque suis undequaque adimplendis sedulo diligenterque* » incumbebant, nihilque prætermittebant earum rerum, quas « *famæ* potius *atque decori almæ Universitatis,* quam *propriæ privatæque suæ laudi* » conducere arbitrabantur; ipsi « sive in solemnibus prælectionibus cum apparatu faciendis, sive in habendis privatis publicisque lectionibus, atque anatomiæ demonstrationibus et recentiorum ac saniorum opinionum explanationibus, nec non variis eruditisque dissertationibus editis, ac demum, quod caput est, in frequenti et rigorosa docto-

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig., ibid.*

2. Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 239.

3. Anno 1683, Archiepiscopus Avenionensis doctores medicos Universitatis laudabat eos peritissimos appellans. (*P. rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. III, f° 96.)

4. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f°s 204 et 220.

rum inauguratione, ubique bene se præstabant » [1]. Unde magis ac magis in dies splendescebat Medicinæ Facultas.

Horum promeritorum veluti præmium duodeviginti doctores aggregati, anno 1698, jus a Primicerio petiere gestandi « *honorariam epomidem* » [2]. Quod eis benigne concessum. Eamdem licentiam obtinuerunt, anatomicæ demonstrator eodem anno, botanicæ vero professor anno 1718, cujus accessione fuerat omnibus numeris absoluta ac perfecta Medicinæ doctrina in Universitate Avenionensi [3].

Primicerius enim commentariolum, anno 1711, summo Pontifici miserat, in quo exponebat magnum detrimentum venisse Universitati ex eo, quod illa neque professorem botanicæ, neque hortum ad culturam notitiamque herbarum accommodatum haberet; atque inde studentium numerum, qui gradus Avenione sumerent, quotidie minorem. Ergo petebat Primicerius, ut herbariæ professor crearetur atque hortus statim institueretur. Utrumque summus Pontifex libenter concessit. Locum quemdam situm extra mœnia civitatis *floretum*que dictum *campum* jussit in hortum converti. Hoc tamen fieri vetuerunt consules Avenionis, ob id unum, quod campus ille curandis hominibus peste afflatis reservari solitus esset. At Prolegatus campum nihilominus Universitati dedit, ea tamen lege, ut, quoties pestilentia urbem invaderet, concessus locus ab iis, qui morbo laborarent, velut antea usurparetur. Sic Universitas herbarium hortum accepit. At legum doctores professoris conducendi atque horti colendi sumptus tolerare recusabant. Quæ tulerant a summo Pontifice dona, damno sibi esse nolebant, excusationem afferentes parva Universitatis vectigalia [4].

Attamen rex Galliarum negabat privilegia Universitatis

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 235.
2. Gallicè, *épitoge*.
3. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 235.
4. *Ibid.*, f° 263.

Avenionensis confirmari posse, nisi crearentur simul herbariæ professor atque hortus. Itaque, anno 1712, rursus oravit summum Pontificem Primicerius, ut Universitati tribueret reliqua Venaiscini Comitatus tabularia atque reditus « *campi floreti* », unde professoris botanicæ atque horti cultoris sufficeretur emolumentis. Nescimus an illud impetraverit. Certe sex post annis institutus est herbariæ professor Joannes Baptista *Gastaldy,* cui « *campi floreti* » reditus destinati sunt. Ille, hiberno tempore, disputationem de virtutibus herbarum recitabat, æstivo contra, ad experimenta discipulos seu rus seu in hortum ducebat. Successorem habuit Josephum *Brun* anno 1722 [1].

Eodem anno, doctoribus in medicina quinque viduata est Universitas Avenionensis, quorum quatuor pro civibus suis, tum peste laborantibus, egregie se devoverant. Studentium quoque numerus decreverat [2]. Ideo Joannes *Gastaldy* medicinæ professor est electus, ut fama viri artis suæ peritissimi scholares Avenionem reducerentur. Eamdem ob causam Josephus *Martin,* doctor Montepessulanus, in doctorum aggregatorum Avenionense collegium est cooptatus [3].

Mortuo autem *Gastaldy,* anno 1747, peritiam viri minime desideravit Avenio, quippe quæ filium ejus, felicissimum paternæ laudis æmulum et diu desideratum, recuperaverit [4]. Inter ceteros hujus ætatis doctores omittere non possumus

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f^os^ 263, 271, 286 v^o^.

2. Nec mirum, quum parvum sapientiæ documentum dederint medicinæ Facultatis doctores, qui pestem jam in urbe sævientem agnoscere noluerunt. Primus eam agnovit Ludovicus *Manne,* celeberrimus quidem chirurgus; cui parum abfuit quin sua noceret sagacitas. Namque invidia medicorum plebs excitata conviciis et maledictis eum petebat, lapidesque ei et mortem sæpe minabatur. Is plebis quidem furorem, doctorum vero invidiam non potuit effugere, qui filium ejus Petrum Ludovicum, jam licentiatum, in collegium doctorum aggregatorum recipere recusarunt. *(Chunson du Pèlerin de Saint-Roch. — Attestations en faveur de Messieurs Manne père et fils, etc., Rome 1750.)*

3. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f^o^ 286.

4. Barj., t. II, p. 8 et 9.

Spiritum *Calvet,* anatomiæ professorem, quum doctrina, tum munificentia præclarum, qui patriæ bibliothecam, manuscripta et numismata magno sumptu collecta testamento reliquit[1]; et Petrum Franciscum *Pamard* virum in ocularia medicina callentem, qui ad suffusionem oculorum ferro supprimendam novum et mirum quoddam instrumentum feliciter excogitavit. Cujus filius, Joannes-Baptista-Antonius, illustria patris vestigia secutus est. Sub idem tempus Ignatius *Voullone* medicinæ cathedram illustravit[2].

Omnium doctissimorum illorum virorum gloria redundavit in Universitatem Avenionensem, quæ medicinam octavo decimo sæculo docere nunquam desiit. Neque studentes ab anno 1756 ad annum 1772 cessarunt gradus in ea mereri[3]. Itaque viguit certe usque ad finem octavi decimi sæculi Medicinæ Facultas, quæ anno 1791, tres adhuc professores habebat[4]; ita ut ea, quinto decimo tantum sæculo vere creata, postquam initio septimi decimi paululum inclinavit, octavo tandem decimo recreata, tum potissimum floruisse videatur, quum Universitas ipsa exitio foret atque ruinæ proxima.

CAPUT V

DE THEOLOGIÆ FACULTATE.

Theologiæ Facultate Avenionensis Universitas initio caruit. Quin ante conditam Universitatem tamen viguerit Theologiæ doctrina, minime dubium. Doctores enim

1. *Vie de Calvet. Avignon 1825.*
2. Barj., *Dict.*
3. *P. rel. à l'Univ. d'Avig.; Docum. div.,* 2e part., t. III. fo 453.
4. Barj., *ibid.,* t. II, p. 458.

Theologiæ a Cardinale Sancti-Angeli civitatis sumptu et ex mulcta, ut supra dictum, instituti fuerant. Neque ii quidem soli fuerunt; monachorum enim eadem ætate cœnobia nonnulla condita sunt [1], e quibus præstantissimos, auctore Valladerio theologos evasisse constat. Horum celeberrimi fuere Guillelmus Arnoldus, Thomas Anglus, Nicolaus Pratensis, Joannes de Morlandinis [2], Guido Perpiniacensis [3], Geraldus de Bononia, Albertus Patavinus, Bartholomæus Urbinas, Augustus de Ancona, Geraldus vel Leonardus de Ghifono, quibus summos pontifices Avenione sedentes Valladerius adjungit [4].

Tandem, tot claris viris postquam enituit Theologiæ doctrina, ejusdem scientiæ Facultatem omnis Universitas atque ejus Primicerius a summo Pontifice petierunt. Quam statim concessit Joannes XXIII anno 1413. Nostra dehinc in Universitate Theologia « *legi, doceri et audiri cœpit..... nec non Baccalaureatus, Licentiæ gradus, et Magisterii insignia tradi, concedi ac recipi* ». Magistri doctores, licentiati, baccalaurei, Theologiæ studentes omnibus exornati sunt privilegiis et immunitatibus, quibus alii in aliis Universitatibus frui solebant. Nova ista cum ceteris Decretorum, Legum, Medicinæ Facultatibus conjuncta fuit [5], ita ut omnes, in unum corpus redactæ, unicam efficerent Universitatem, cujus caput Primicerius secundum antiqua statuta eligeretur [6]. Theologiæ igitur Facultas eo fuit creata tempore, quo magnis dissensionibus tota christiana agitabatur ecclesia. Quam fortunam his temporibus habuerit, quanta incrementa acceperit, nescimus : utrum bene processerit, an conciderit, dicere non possumus. At certum

1. Patres Prædicatores an. 1226, Minores an. 1227, Augustiniani paulo post, Carmelitani an. 1267 Avenione sederunt (FANTONI, *ibid.*, t. I, p. 57, 58).

2. VALLAD., *ibid.*

3. Exstant Guidonis Perpiniacensis *summa hæresiarum* et *statuta synodalia* a Baluzio edita *(Encyclop. du XIX^e siècle)*.

4. VALLAD., *ibid.* — CIACONIUS, t. II, p. 677.

5. Artium Facultas nondum existebat, quamvis ipsa nominetur in bulla Joannis XXIII.

6. *Bullar. Civit. Aven.*, p. 60.

est Martialem Auribellum, dominicanorum tunc eruditissimum, rerum divinarum doctrinæ novas vires addidisse, et disciplinas restituisse circiter ad annum 1453 [1]. Verum, si nostram sententiam omnino aperire licet, ea ætas clarior fuit Theologiæ Facultatis erectione, quam theologorum numero et celebritate.

Decimo autem sexto ineunte sæculo, Theologia magis videtur in monasteriis, quam in Universitate, floruisse. Theologiæ Facultas a studentibus monachis deserebatur, qui in proprio conventu doctissimos magistros audiebant. Neque forte ad Universitatem, nisi fuissent anno 1502 coacti, rediissent [2]. Theologiam nempe a mendicantibus ordinibus præcipue fuisse excultam significat Valladerius his verbis : « ex quorum (*cœnobiorum*) tabulis expensi et accepti, et ex ipsis quoque subselliis, quæ adhuc existant [3] in Dominicis, animadverti, inibique Theologiæ, Philosophiæque certamina ad eum modum, quo Parisiis videmus, Magistros præterea et quidem illustres eo tempore viguisse [4] ». Fratrum quoque Minorum e cœnobio egressus erat Franciscus Lambertus, insignis inter Avenionenses theologus, qui, quum conventum fugisset (1522), Lutheranicos secutus est errores, uxoremque duxit anno 1523 [5]. Paulo post, circa annum 1527, « *summi doctoris et præconis magni Dei* [6] *lectionem provehere atque illustrare pro sua parte conatus est* » Joannes *Nicolaï*, episcopus Aptæ Juliæ; quo egregio facto magis ac magis sibi devinxit Jacobum Sadoletum, qui in epistola ad eum missa scripsit : « urbi etiam isti Avenionensi gratulor : in qua si hæc vigere studia et germinascere incipient, tantorum præsertim adjuta auctoritate virorum, maximum illi civitati non modo ornamentum, sed etiam

1. VALL., *ibid.* — BARJ., *Dict.*
2. *Mém. sur l'Unio. d'Avign.*, f° 74.
3. Hæc subsellia se vidisse his verbis testatur Valladerius.
4. VALLAD., *ibid.*
5. CAMB. VELL., *ibid.*, t. IV, f° 251 v°, 252, 254.
6. Sanctus Paulus his verbis indicatur.

commodum accessurum est [1] ». Sub finem ejusdem sæculi Fratres Minimi (1575) et Capucini (1576) Avenione sedem habere cœperunt [2], quos Theologiæ sese applicuisse conjicere est, ut catholicam fidem adversus Hugonoticos tuerentur. Dum civilibus bellis perturbata fuit Avenio, Theologiæ Facultas, ut ceteræ Universitatis disciplinæ, jacuit sine dubio, omninoque siluit.

Decimo sexto prope exacto sæculo, Genebrardus Alvernus, vir litterarum et Theologiæ peritissimus [3], rerum divinarum scientiam ac studia Avenionem revocare enisus est : « quo se facturum sperabat, ut hæreticorum pestifera gymnasia, tandem aliquando celebritate Avenionensi exinanita, languescerent [4] ». Eamdem sane ob causam, decimo septimo ineunte sæculo [5], excalceati ordines accersiti sunt, Carmelitani (1609) et Augustiniani (1610). Quatuor, eo tempore, celeberrimi theologi e collegio Patrum societatis Jesu exstiterunt, Lorinus, Salianus, Royerius et Rhodius, omnes Avenionenses [6]. Ipsa vero resurrexerat Universitas, nec non Theologiæ etiam Facultas, quæ rursus docere cœperat circa annum 1629. Namque, mense Junio ejusdem anni, decanus in Theologia, cui delegabatur officium docendi, electus est [7], et paulo post, ad Montemfavum, quidam Theologiæ doctor est factus, quia tum aer Avenione vitiabatur [8]. At decanus, quotannis eligendus, e collegio doctorum Theologiæ assumebatur : cujus in manus ceteri præstabant de statutis observandis juramentum. Studentes ipse ad gradus promovendos proponebat primus atque admittebat. Is igitur honores dignitati suæ con-

1. Sadoleti., *Epist. 7, Kal. Jun. ann. 1531.*
2. Fantoni., *ibid.*, p. 62.
3. Nostradamus., *Hist. de Prov.*, p. 952, 953, 963, 1043.
4. Vallad,, *ibid.*
5. Fant., *ibid.*, p. 63. — Teyssier, *Hist. d'Avign.*, t. II, f° 217 ms.
6. Cadecombe, *De prim. Univ. erect. : Univ. d'Avign. ; Hist.*, t. I, f° 46. — Bari., *Dict.*
7. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 116.
8. *Ibid.*, f° 117.

gruentes sibi deferri auctor fuit : cujus consilii collegas suos participes habuit atque fautores. Namque anno 1633 decanus et magistri in Theologia a Primicerio petierunt atque impetraverunt, ut decanus ab ipsis electus « *honorario aliquo stemmate insigniretur* ». Deinde « *posthomidem* ex albo serico gestare læva manu cœpit decanus, ut « *ab omnibus præcellere ceteros dignosceretur* [1] ».

Vigesimo altero anno post (1655), Theologiæ docendæ munus, quo decanus adhuc functus erat, peculiari creditum est professori, cui nova et perpetua cathedra ex liberalitate archiepiscopi Dominici *de Marinis* non solum erecta, sed mille etiam fuit nummis dotata [2]. Hinc in Universitate nostra florere adeo cœpit Theologia, ut, insequenti anno (1656), controversia de decanatu adipiscendo exorta fuerit inter clericos seculares et monachos in collegium doctorum adscriptos [3]. Nihil omisit Universitas, ut Theologiæ professorum studium atque æmulationem excitaret : eos honoribus et bonis cumulavit. Anno 1671, omnibus magistris licentiam dedit ferendi, « *in actibus publicis, epomidem albam ex raso densoque serico, qualem hactenus gestare* » consueverat decanus : omniaque emolumenta (1658) voluit a doctoribus aggregatis percipi, quamvis a civitate propter conventuum aut capitulorum negotia abessent [4].

Theologiæ auditorum numerus paulo post crevit, quum Avenionem Oratorii Patres advenissent anno 1666. Qui reformatos tertii Franciscanorum ordinis, in eadem civitate jam ab anno 1639 constitutos, æmulos forte in divinis rebus discendis repererunt [5]. At Theologia proprium fuit Fratrum Prædicatorum studium. Docendi nempe officium peculiariter fuerat eis a cathedræ conditore Dominico *de Marinis* attributum, ea tamen lege, ut is, qui tali

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 118.
2. *Ibid.*, f° 137.
3. *Ibid.*, f° 139.
4. *Ibid.*, f° 166 et 143.
5. FANT., *ibid.*, p. 63, 64.

par muneri judicaretur, ab Universitate magisterio donatus inter aggregatos cooptaretur [1]. Discipulis magistri doctrina insignes omnino se dedebant : namque, anno 1694, duo RR. Patres, quorum alter Theologiam, alter Philosophiam profitebatur, duplicatum pensum ultro peregerunt, per quatuor, nulla intermissione, horas docentes. Collegam vero Pater *Barbat,* philosophiæ professor, laboris patientia non solum æquavit, sed liberali etiam pecuniæ superavit impensa, quippe qui auditorium, anno 1695, proprio sumptu reparaverit [2].

At Theologiæ doctores, vel numero, vel tam prospero successu elati, baccalaureorum et licentiatorum promovendorum, sine Primicerii auctoritate, licentiam sibi arrogare paulo post tentaverunt, anno 1698 [3]. Verum ab incepto desistere coacti fuere. Nequidquam, anno 1701, de honoris gradu cum Legum Facultate contendere voluerunt [4]. Unde conjicere licet, ni fallimur, Theologiæ Facultatem multum in amplitudinem crevisse : quam ditiorem quoque factam esse liquet, quum Universitatis Primicerius a Theologiæ magistris vectigalia exigere inceperit, quæ a ceteris adhuc doctoribus perceperat. Ea profecto, si modica fuissent, contempsisset [5].

Testatur etiam ejusdem Facultatis incrementum nova Theologiæ cathedra Avenione, octavo decimo sæculo, instituta ; quæ a collegio doctorum, anno 1719, ante diem quartum Kal. Jul., rata fuit atque approbata. A conditore Stephano *Millaret* statutum fuit, ut in ea doceretur S^ti^ Thomæ ethica eo ordine, quem Franciscus Genettus in « *Theologia morali* » probaverat [6]. Tunc igitur duæ erant Avenione

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 203 v°. — *Pièces relat. à l'Univ. d'Avign.*, t. II, f° 96.
2. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 217 v° et 218 v°.
3. *Ibid.*, f° 136.
4. *Ibid.*, f° 243.
5. *Ibid.*, f° 268.
6. *Ibid.*, f° 272. — Genetti epitaphium sic incipit : *Hic jacet Franciscus Genet, Vasion. episcop. jurium Sanctæ Sedis ac summi Pontificis vindex acerrimus, theologiæ moralis author doctissimis non impar...* (BARJ., *Dict.*).

Theologiæ cathedræ : non possumus scire an diu simul viguerint. At earum certe altera jam conciderat antequam Universitas ipsa abrogaretur. Namque, anno 1791, unum modo Theologiæ professorem in Universitate Avenionensi reperimus [1].

1. Barj., *Dict.*, t. II, p. 458.

PARS ALTERA

De constitutione, patronis, divitiis, privilegiis, atque auctoritate Universitatis

---

CAPUT I

DE CONSTITUTIONE UNIVERSITATIS

Constabat Universitatis corpus Cancellario, Primicerio, Professoribus, Studentibus, Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus; et illis qui *suppositi* vocabantur, Collegiorum scilicet Rectoribus, Bidello, Librario, ceterisque ministris; iis denique omnibus, qui in ea aliquid aut dignitatis, aut officii exercebant [1].

Totius Academiæ princeps erat *Primicerius,* qui eodem magistratu fungebatur, quo *Rector* in aliisUniversitatibus. A collegio doctorum altera a Pentecoste feria quotannis, inter legum potissimum magistros publice legentes, aut non legentes, alternis eligebatur. Coram episcopo primum, coram archiepiscopo deinde, quatuor etiam Theologiæ doctoribus præsentibus, electio fiebat : quam sibi nequidquam vindicare studentes bis conati sunt annis 1369 et

1. VALLAD., *ibid.* — CAMB. VELL., t. II, f° 151.

1376 [1]. Postera die post electionem Primicerius recens ab urbis Consulibus et Vicario [2] visebatur. Deinde apud episcopum, vel, eo absente, apud præpositum metropolitanæ ecclesiæ in custodiam omnium Academiæ privilegiorum et legum, et simul in obsequium et reverentiam Sedis Apostolicæ et præsulis Avenionensis jurabat [3]. Huic curæ erat scholas et disciplinas ordinare, doctorum eruditionem et doctrinam, singulis annis initio studiorum et feriis Paschalibus, examinare, collegia invisere et de peritia illorum judicare, qui gradus affectarent [4].

Jurisdictionem habebat eorum, qui ex Universitate penderent, id est doctorum, studentium et suppositorum, quorum controversias dirimebat [5]. Ecclesiasticorum quidem causas primum judicabat doctor aliquis clericus, ex Universitatis collegio electus, quum Primicerius laicus esset; postea vero, anno 1514, ex bulla Leonis X, omnes totius Universitatis causæ ad Primicerium, qualiscumque esset, delatæ sunt [6]. Ad tres patronos privilegiorum Universitatis, Archiepiscopum, Abbatem sancti Andreæ, atque Decanum Beati Petri, quartus ab eodem pontifice Primicerius adjectus est. Ei quoque Sixtus IV, *Vice-gerentis* creandi potestatem attribuit, quam tamen postea Alexander VI Sedi Apostolicæ reddidit [7].

Quantæ fuerint Primicerii dignitas atque auctoritas ex eo videre est quod idem in gravissimo civitatis concilio sedebat : de nulla re momenti cujuslibet senatores, illo absente, deliberare poterant. Omnia a consulibus gesta, mandata, contracta approbabat et subscribebat. Honoribus a civitate cumulabatur : peculiarem sedem in senatu obtinebat, ante

1. Vallad., *ibid.* — Camb. Vell., *ibid.*, et t. VI, f° 154. — Cadecomb., *Nov. disq. leg.* — Barj., *Dict.*, t. II, p. 456.
2. Gallice *Viguier*.
3. Vallad., *ibid.*
4. *Bull. civit. Avcn.*, p. 74. — Camb. Vell., *ibid.*
5. Camb. Vell., *ibid.* — Barj., *ibid.*
6. Camb. Vell. et Barj., *ibid.*
7. Vallad., *ibid.*

equites etiam primi ordinis opinabatur. In publicis solemnitatibus post bedellum, massa instructum, pontificia cohorte comitatus incedebat, proximus episcopum civitatis et vicarium ordine sequens. In actibus Universitatis omnes magistratus in quacumque forent dignitate priorem illi locum cedebant [1]. Illum tandem pulcherrimo et postremo decore ornavit Benedictus XIII, qui ante diem quartum decimum Kal. Octob. anni 1728, declaravit « ipsius Universitatis Primiceriatum tam de præterito quam in posterum *esse* et *fuisse, constituere* et *constituisse* titulum primordialem veræ nobilitatis ad descendentes transmissibilem [2] ». Sic omnes Primicerii tam illius quam præteritæ ætatis patriciatu liberalissime donati sunt. Quod quidem Pio VI intemperantius visum est factum. Namque summus ille Pontifex statuit, anno 1788, nobilitatem a nemine posteritati posse transmitti, nisi ab iis qui bis primiceriatu functi essent, aut patrem jam Primicerium habuissent [3].

Eam autem dignitatem tantus et tam gravis labor comitabatur, ut multi, qui honores libentius accepissent, operam tamen muneris et sudorem reformidarent, ideoque Primiceriatum detrectarent. Anno 1536, Primicerius quidam a Legato Claromontano impetravit, ut magistrorum numerus ad quatuor contraheretur, et duobus consequentibus annis doctores duo, qui non docerent, Primiceriatu fungerentur, magistri, qui legerent alternis, « *circumscriberentur triennio* » : de quo Valladerius : « Puto ego illum hominem, qui ille cumque fuit, magis rem suam curasse, quam alienam » [4]. Neque postea defuere, qui istius exemplum secuti, amplissimam illam dignitatem non exercuerint nisi a Legato jussi [5].

Præcipuam alteram Universitatis dignitatem implebat

1. Camb. Vell. et Barj., *ibid.*
2. *Benedicti XIV, constitutio.*, p. 11, Avenione, Séguin, 1745.
3. Barj., *ibid.*
4. Vallad., *ibid.*
5. *Pièces rcl. à l'Unio. d'Avign.*, t. II, f° 272.

Episcopus Avenionensis, qui veluti Cancellarius a principio fuit a summo pontifice Bonifacio VIII designatus. Ad eum deducebantur studentes ad gradus promovendi. Professores tum ipse convocabat, et discipulos una cum eis interrogabat, et quos idoneos repererat doctores inaugurabat, docendique licentia donabat. Eodem officio, vacante Sede Avenionensi, præpositus Domnensis ecclesiæ fungebatur [1]. Inde mos invaluit Lauream doctoralem concedendi in palatio episcopali. Legibus quoque Universitatis conficiendis operam dabat Cancellarius. Anno 1303, Bertrandus *Arimini* episcopus una cum doctoribus statuta Universitatis coordinavit. Postea novas Ægidius, Guido, Alanus leges tulerunt, et præsertim Galeottus Prolegatus, qui veterum legum florem excerpere conatus est [2]. Sed hactenus de Cancellario, cujus jura sunt in omnibus Academiis similia.

Præerant etiam Universitati tres conservatores, abbas monasterii Sancti-Andreæ, Præpositus Domnensis ecclesiæ, ac Decanus ecclesiæ Sancti-Petri, qui constituti sunt anno 1318 a Joanne XXII, ut Primicerium, doctores et discipulos ab omni molestia atque injuria tuerentur, eorumque bona immobilia atque mobilia, jura, reditus sæpius expilata a deprædatoribus defenderent. Vetuit tamen, anno 1445, Eugenius IV ne iidem Vice-gerentis impedirent jurisdictionem, a qua pendebant doctores etiam et scholastici, de quibus nunc dicendum est [3].

Ut de doctoribus primum disseramus, a principio cathedram in Universitate Avenionensi, legendi causa, nemo ascendebat nisi antea magisterio potitus [4]. Tum omnes magistri pari conditione utebantur, iisdemque fruebantur privilegiis. Postea facta est a quibusdam secessio; nam circa dimidiam quarti decimi sæculi partem doctores, qui legebant, quum a ceteris sese secerni vellent, in societatem

1. *Bull. Aven.*, p. 57. — Vallad., *ibid.* — Bard., *ibid.*
2. Vallad. et Bard., *ibid.*
3. *Bull. Civit. Aven.*, p. 78 et 90.
4. *Ibid.* p. 58.

quamdam, patrocinio Beatæ Mariæ Virginis commendatam, coire cœperunt [1]. Hinc duo genera doctorum, quorum alterum eos qui magistrorum in collegium fuerant adscripti, alterum eos, qui e collegio excludebantur, comprehendebat [2]. Illi « *aggregati* » vel « *collegiati* », hi « *simplices* » vocabantur doctores. Primi paulatim et jus legendi, et concedendos gradus sibi solis arrogasse, et immunitates quasdam usurpasse sicut proprias videntur [3]. Professores enim ex numero aggregatorum assumpti a collegis eligebantur. Hi dicebantur « *ordinarii* », aut quia solemnem Universitatis cathedram ex more et legibus obtinebant, aut quia mercedem ex sumptu Academiæ accipiebant. « *Extraordinarii* » vero vocabantur magistri clarissimi jurisperiti qui ob famam a civitate, quamvis nulla vacaret cathedra, conducebantur. Ordinarium autem doctorum sæpe variavit numerus : anno 1514 leges tradebantur a quatuor magistris, vel « *regentibus* », quibus deinde, anno 1544, duo sunt additi, ita ut terni jus civile, terni pontificium tum fuerint interpretati, quandiu Universitas ipsa duraverit [4]. Integram horam unusquisque doctorum legendo absumebat. Neque collegam in locum suum subrogare poterat, nisi aut morbo, aut rebus publicis impediretur. Sæpius docenti aderat peritissimus quidam vir a Primicerio delegatus, qui, si quid mali doctrinæ inesset, notaret [5]. In principio qui per triennium legerat, rursus professor eligi poterat, sed postea ab anno 1624 docentium nemo cathedram rursus ascendere potuit nisi post trium annorum intervallum. Aliquando tamen aliquid de illa lege derogabatur egregios erga quosdam magistros, quorum opera orbari nolebat Legum Facultas [6]. Nescimus an Theologiæ, Medicinæ et Artium doctores, qui paucis-

1. *Pièces rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. III, f° 504 v°. — Statuta Univ. anni 1366, art. 34, *ibid.*, t. IV, f° 257 v°.
2. Statutor. Galeoti fragm., *ibid.*, t. IV, f° 158.
3. *Réglem. de 1679. Pièces rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. II, 1re part., f° 91.
4. Vallad., *ibid.* — *Bull. Civit. Aven.*, p. 73. — Barj., t. II, p. 458.
5. *Bulla Leonis X, in Bull. Civit. Aven.*, p. 73.
6. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 114.

simi semper fuere, iisdem legibus fuerint obligati. Sed certissimum habemus, omnes qui in Universitate legebant pretium operis accepisse [1].

Quos autem legibus ceterisque disciplinis informaverant discipulos, promovebant etiam ad gradus doctores collegiati. Cujus rei, vel potius juris, participes in principio erant ii qui dicebantur « *Comites Palatini* [2]. » Namque mos jam a multis annis invaluerat, ut « *multis privatis personis* » facultas conferendi insignia doctorum per summos pontifices concederetur. Quod quidem in « *grave præjudicium* » et « *notarium detrimentum* » Universitatis vertebat. Itaque anno 1523, ante diem quartum Idus Februar., doctores Universitatis statuerunt rem denuntiandam esse summo Pontifici, *ut provideret de remedio opportuno*. Omnes assensere, uno tantum discrepante Francisco *Meruli*, « *qui dixit se habere privilegium doctorandi cui non intendit derogare, nec consentire conclusioni.* » Nihilominus decreverunt se rogaturos, « *S^mum D. N. Papam, ostenso præjudicio Universitatis, ut Sanctitas sua inhiberet omnibus et quibuscumque, ne prætextu talis privilegii concessi, vel concedendi, nemo nisi per Universitatem doctorum aggregatorum et in examine rigoroso, saltem in ipsa civitate Avenionensi, recipiat* [3] *gradum doctoris, nisi per dictam Universitatem concedatur, præterea quod nemo ex Dominis doctoribus aggregatis nec in futurum aggregandis, intersit examini aut gradus concessioni alicujus volentis graduari aliter quam per examen rigorosum aliorum*

1. *Bulla Sixti IV, in Bull. Civit. Aven.*, 67 et 71.

2. Comites Palatinos conjicimus præstantissimos quosdam fuisse viros, qui ob merita in Apostolicam Sedem illud nobilitatis titulum a Romana Curia acceperant. Septimo decimo sæculo, summus Pontifex concessit J.-M. Suaresio jus nominandi sacri Palatii Comites. P. F. Tondutus Comes Palatinus erat. (Barj., *Dict.*, p. 431 et 443). — « Habuisse summos Pontifices suos Comites Palatinos videtur erui ex bulla Johannis XIX PP., quam describi Ughellus, t. I, p. 115 cujus frater Albericus *Comes* Palatii interest Judicato, quod ipse Pontifex protulit in Ecclesia S. Silvestri infra Palatium Lateranense. » (V. Cangii gloss., t. II.)

3. *Recipiat, concedatur, intersit* pro *reciperet*, etc.

doctorum aggregatorum in ipsa Universitate, et hoc sub pœna privationis trium annorum a collegio [1]. » Quibus supplicationibus satisfecit Clemens VII, qui anno 1531 et ante diem duodecimum Kal. octobr. litteras, vel *bullam* emisit, qua vetitum fuit ne « *Comites Palatini et alii speciales commissarii Apostolici* » jus sibi vindicarent promovendi quemcumque ad « *Magistratus, Licentiatus, Baccalaureatus et forsan alios gradus in Divino et humano juribus, Artibus, Medicina, et aliis scientiis* ». Ceterum præcepit summus pontifex, ne quis gradum quemcumque adipisci, et « *privilegiis, favoribus, immunitatibus, antelationibus et præeminentiis gradus hajusmodi uti, potiri et gaudere* » posset extra Universitatem Avenionensem [2].

Gratis initio, favore odioque et amore exclusis, studentium experimentum fiebat [3]. Pecunia deinde exposcebatur. Sexto decimo sæculo, qui solemni ritu doctor initiabatur Universitatis scribæ certos primum nummos solvebat. Postea « uno dominico eques, officii gratia, Legatum, Vicarium, Prælatos, Primicerium, Doctores et Consules conveniebat atque eos invitabat. In crastinum ibat ad ædem

1. *P. rel. à l'Univ. d'Avig.*, t. I; *Hist.*, f° 51.

2. *Ibid* — *Bull. Civit. Aven.*, p. 76.

3. Bonifacii VIII bulla in *Bull. civit Aven.*, p. 38. — Hæc in statutis ab episcopo Bertrando *Aymini*, anno 1303 conditis, reperimus : « Circa ordinem doctorandi observandum ordinatur, videlicet quod baccalaureus qui doctorari desiderat ante omnia cum doctore, sub quo doctorari desiderat, veniat ad Primicerium doctorum, et doctor suum baccalaureum Primicerio *præsentet*. Eo præsentato Primicerius examinet eum, præsentibus doctoribus, de tempore studii et de natalibus, et quot annis *legit*, et *si legit* per quinque annos, et ubi stud*uit*,et de conversationibus suis, et *si* habeat libros sibi necessarios et hab*uit*, et quot annorum *est*, et super aliis prout sibi videbitur. His peractis, fiat inde instrumentum *si* idoneus *est* repertus, et deinde per doctorem per quem licentiandus est præsentetur Avenionensi episcopo, vel præposito, Avenionensi sede vacante. Deinde, vocatis omnibus doctoribus de collegio, per bedellum generalem uno mane admittatur ad examinationem privatam, et tradantur *sibi* puncta in secundo [sacello?] Simphoriani in hora consueta, et quilibet doctor faciat duo argumenta, vel duo quæstiones, et, si post examinationem idoneus repertus *fuit*, de consilio doctorum approbabitur, vel reprobabitur, si fuerit reprobandus. (*Pièces rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. IV; *Obj. div.*, f° 257 ms.)

Fratrum Minorum, ibique solemniter doctor inauguratus, magna cum pompa, præcinente tibicinum turba, domum reducebatur. Postridie conspicuo in equo per totam urbem triumphalem in morem equitando, maximo apparatu et comitatu honorifico circumducebatur; gratulationes atque convivia celebrabat » [1]. Septimo autem decimo sæculo, qui lauream doctoralem affectabat, promotorem primum inter collegiatos eligebat, a quo doctoris *birretum* accipere volebat [2]. Deinde Archiepiscopum Avenionensem, Universitatis Cancellarium, Primicerium, ceterosque Magistros visebat, eisque dabat pyxides plenas amygdalis saccharo circumlitis. Die dicta in « *punctorum assignationem* », quatuor legum regentibus vel professoribus comitatus, Primicerium rursus adibat, a quo sic interrogabatur : « *Es ne Catholicus? Habes ne libros? Es ne legitimis parentibus ortus? Es ne orthodoxus?* » Quibus ipse respondebat: « *Ita* ». Testes ex sodalibus duo studentem dixisse verum asserebant. Ipse deinde « *puncta* » [3] quæsitum ibat apud Cancellarium; quæ, postquam doctoribus distribuerat, de doctrina et facundia periclitationem inibat. Postquam thesim defenderat, si dignus visus erat, qui ad doctoratum promoveretur, ad Cancellarium deducebatur, cujus ad genua procumbens fidem palam declarabat. Huic deinde, si regi Galliæ subditus erat, Primicerius dicebat : « *Promittis fidelitatem Christianissimo Francorum regi?* » Quum responderat : « *Promitto* », scriba Archiepiscopi promotori facultatem dabat concedendi doctoralis *biretti,* quod a bedello capiti candidati imponebatur. Tum ipse veniebat ad portam Domnensis ecclesiæ atque ibi exspectabat Primicerium et ceteros doctores, quibus, quum gratias egisset, domum statim revertebatur, comitantibus tibicine et bedello massam gerente, qui novo doctori jam stanti in limine congratulabatur [4].

1. VALLAD., *ibid.*
2. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 172 ms.
3. Hoc verbo significantur res ad disputandum propositæ.
4. *P. rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. I, p. 268-272.

Si quis vero, doctor jam factus, in collegium aggregatorum intrare vellet, nummos primum deponebat; deinde a Primicerio indicabatur ut qui doctrina, moribus, propriisque et parentum officiis in doctorum collegium admitti meritus esset, et, datis suffragiis, eligebatur. Acceptus deinde grates Primicerio et collegis persolvebat atque dabat epulas. Deinde, tribus nondum elapsis mensibus, alteram de certis quibusdam « *punctis* », simplicis doctoris instar, periclitationem subibat, ex qua feliciter plerumque evadebat, quippe qui librarum duo millia solvisset [1]. Solebant autem aggregati doctores « privative quoad alios doctores simplices et non aggregatos » eligere professores et magistros, qui canonica et civilia jura docerent, « interesse assignationi *punctorum,* qui dantur promovendis ad doctoratum, dictosque promovendos examinare, atque examinatos approbare, vel reprobare, statuta Universitatis concedere atque reformare, secretarium, bidellum, aliosque officiales Universitatis regimini necessarios deputare, doctores simplices ad collegium admittere seu aggregare, aliaque Universitatis munera obire », atque de omnibus Academiæ rebus in privato collegio deliberare [2]. Mox dignitates adipiscebantur; Rotæ vel decani, vel auditores fiebant, aut Vice-gerentiam obtinebant [3]. Tantis honoribus, tantaque auctoritate ornati viri simplicium doctorum invidiam concitaverunt, qui eos quasi abusivum atque illegitimum exercentes magistratum haud semel incusarunt [4]. Sed privilegiis obtrectantes vicisse doctores aggregati videntur.

Nec tamen immerito querebantur simplices doctores; ægre ferebant se amisisse auctoritatem atque immunitatem, quibus omnes fuerant in principio doctores instructi. Docendi igitur licentia, ceterisque Universitatis muneri-

1. *P. rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. I, f^os^ 274 v°, 276, 277; t. II, f^os^ 217-219; t. III, f^os^ 569-572.
2. *Ibid.*, t. IV, f° 104. — *Mém. sur l'Univ. d'Avign., passim.*
3. *P. rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. II, p. 219.
4. *Ibid.*, t. II, f° 101.

bus spoliati, causas orare cogebantur : aut in auditorio principis sedebant ut judices et patroni, aut de jure domi respondebant, ideoque veluti membra Academici corporis habebantur, quippe qui ordinis et gradus sui dignitatem honeste observarent. Qui vero turpibus artificiis inhoneste incumbebant, dignitatem putabantur abjecisse, atque ab Universitate *doctorelli* contemptus et opprobrii causa dicebantur, privilegiorumque in consortium non vocabantur [1].

CAPUT II

DE CORPORE STUDENTIUM

Alterum in Universitatis corpore locum obtinuit studentium societas, quæ infra quidem doctores dignitate, gravissimas tamen in Universitatis historia partes egisse et moribus et numero videtur [2]. Ipsa enim propria privilegia habuit, propriosque quasi magistratus et duces, inter quos præcipue eminebant Rector atque Abbas a studentibus electi. Paulo ante natalia Christi, fiebat coram Primicerio et regentibus electio, in qua minus doctrina et diligentia sæpe quærebantur, quam quantum quisque pecuniæ libenter impendere posset. Facto delectu, novo Rectori extemplo sodales gratulabantur, qui, postquam Prolegatum cum Primicerio et quatuor regentibus inviserat, domum reducebatur. Rector studentium simul cum titulo provinciam capessebat, in qua non solum cura

1. CADECOMB., *Nov. disq. leg.*, c. *XVII.*, p. 76-81.
2. FRANSOY, *Hist. ms d'Avign.*, t. I, f° 128.

et sedulitate, sed etiam sæpius pecunia opus erat; is enim, quasi legatus quidam, ad Primicerium studentium querelas, magistrorum mandata ad sodales transmittebat, pro quibus etiam sumptus facere nonnunquam cogebatur. Eadem ratione qua Rector studentium Abbas eligebatur [1].

Præerant illi toti studentium multitudini, ac simul leges Universitatis ac studentium privilegia observanda curabant [2]. Die sancti Lucæ aperiebantur scholæ, quæ circa Assumptionis diem claudebantur. Nemo ad leges ediscendas admittebatur, nisi sextum decimum ætatis annum attigisset. Omnes scholares, quater in anno, nomina sua in tabulis Facultatis, cujus doctrinam percipiebant, inscribere debebant. Quotidie duobus professoribus recitantibus aderant, quorum lectionem perscribebant. Post biennium baccalaurei, post triennium licentiati, post quadriennium doctores fieri poterant, qui assidue magistros audierant; sed ut periclitationem adire possent, assiduitatis testimonio opus erat, a magistris dato; quod si quis magister falso concessisset, ab officio ipse removebatur, scholaris vero gradu interdicebatur. Facta deinde privata periclitatione, studentes publicam obibant, quæ duas horas baccalaureis, tres licentiatis, quatuor doctoribus durabat. Hoc more utebantur anno 1679, quem tamen paucis post annis (1698) mutaverunt, ut Parisiensem Universitatem imitarentur, quæ post novem menses studentibus baccalaureatum conferebat, et licentiam et doctoratum, uno aut altero post baccalaureatum anno elapso, affectari sinebat [3].

Si quis vero repulsam a magistris immerito sese tulisse arbitraretur, novam idem et publicam periclitationem adire

1. *P. relat. à l'Univ. d'Avign.*, t. I, f° 288.

2. *Ibid.*, f° 254. — Avenione easdem videtur vices egisse studentium Rector, quas Procurator Germanicæ nationis apud Universitatem Aurelianensem. A rectore studentium Avenionensium emebatur quidquid necesse erat ad conficiendas placentas, quæ, in solemni sancti Sebastiani festo, non solum Universitatis et civitatis magistratibus, sed nobilibus etiam viris et mulieribus offerri solebant. (*Ibid.*, f° 288.)

3. *Ibid.*, t. II. f° 91-92; t. IV, f° 105-109.

poterat; in qua tamen eo difficilius res feliciter succedebat, quod studenti quatuor judices sortito, omnibus etiam doctoribus assistentibus et interrogantibus, erat respondendum [1].

Dein, admisso studenti, postquam sese jurejurando Catholicæ ecclesiæ et Galliarum regis fidem, nec non et doctorum omnium reverentiam, diligenter observaturum confirmaverat, litteræ concedebantur, quæ merito collatum fuisse gradum significabant [2]. Sic in societate studentium varii ordines, prout quisque in studiis magis processerat, certis et severis legibus describebantur, ita ut multum illa disciplina non laudi tantum sed etiam prosperitati Universitatis profuerit.

Quod autem ad numerum studentium pertinet, alium aliis temporibus illum fuisse animadvertimus. Principio permulti novam Universitatem adierunt, ita ut sexto decimo sæculo octingenti discipuli clarissimos professores audiverint [3]. Nec quidquam magis ad augendum numerum studentium contulisse credimus, quam quod multa collegia vicissim condita sunt.

Arcebantur enim a studiis quicumque mediocri tantum re familiari fruentes, vitam in opulentissima civitate sustinere nequibant; huc accedebat quod plerique ex studentibus non modo necessariis sed etiam sæpius vanis ac superfluis impensis indulgere atque in deliciis vivere solebant. Conditis vero collegiis, ii omnes, quos procul a litteris inopia detinuerat, non modo domicilium et facilem victum, sed libros etiam et optimam disciplinam repererunt: inde statim magnus vel egentium studentium concursus. De septem collegiis, quæ variis temporibus Avenione floruerunt, mox dicturi erimus : de ipsis discipulis nunc edisserendum. Hi primum liberi, et quasi sui juris fuerunt : ipsi enim ne collegii statuta violarentur curabant, ipsi Rectorem eligebant, ceterosque magistros, ipsi denique novos

1. *P. relat. à l'Univ. d'Avig.*
2. *Ibid.*,
3. Perrin, *Etats Pontif. de France*, p. 45.

scholares in locum egredientium subrogabant. Hæc autem privilegia deinde, septimo decimo sæculo, omnia amiserunt [1].

Peculiarem quidem uniuscujusque collegii formam ac disciplinam omittemus, nam fere omnium statuta aut omnino deperdita, aut in lucem nondum producta fuerunt. Sed ex statutis monasterii Sancti-Martialis, quæ servata perlegimus, conjicere licet quale fuerit studentium in ceteris collegiis vivendi genus. Id primum omnibus commune videtur fuisse, ut nemo in numerum collegiatorum admitti posset, nisi sese primum in nulla alia Universitate, nisi in Avenionensi, gradus quæsiturum pollicitus fuisset [2]. Præterea ii tantum Sancti-Martialis collegium intrabant, qui, jam grammaticæ periti, bonis quoque litteris imbuti fuerant; iis collegium non modo hospitium et victum, sed libros etiam et vestes præbebat. Tum in ipso gymnasio legum elementa ediscebant, et deinde ad Universitatem mittebantur, ut publicas doctorum lectiones audirent, quas domum reversi a Rectore repetitas melius intelligebant et percipiebant. Feriis autem, dum vacabant Universitatis doctores, discipuli privatis et quasi domesticis tradebantur in collegio magistris; sæpe etiam inter se de quibusdam legum axiomatibus disceptabant. Sic monachorum animus curabatur, nec tamen interea corpus negligebatur. Nam inter eadem statuta, multa animadvertimus ad victum et epulas spectantia. Tribuebantur enim quotidie singulis fratribus « *pondus duarum librarum cum dimidia panis frumenti boni et purgati duarumque lagenarum vini, quas picherios* » vocabant; atque insuper his « *pro pulmentis decem denarii Turonenses ad carnes, laridum, pisces et alias dapes comparandas* »; quæ quidem summa duplex festis diebus fiebat. Secundæ etiam mensæ apponebantur monachis, qui longius prandium inter et cœnam intervallum interjiciebant, iidemque quotidiano vini haustu æsti-

1. Camb. Vell., t. II, fo 140.
2. Cadecomb., *ibid.*

vum calorem lenibant. Ex his existimamus exiguam vulgo fuisse operam medici, qui, annuo sex florenorum pretio conductus, discipulos collegii curabat. Lautius enim vivebant studentes quam qui debili valetudine essent; ceterum non eam vitam ducebant quæ juvenes in morbos injicere posset. Nunquam enim a gymnasio, nisi justam ob causam cum licentia Rectoris, exire poterant; urbem minime frequentabant, et integram laborando diem consumebant. Diluculo e lecto surgebant, quem nona hora vespere, sive hiemis, sive æstatis tempus esset, repetebant, ita ut expeditum et sanum corpus habentes, quieto quoque et ad laborem parato animo fruerentur [1].

Hanc vero tranquillitatem nonnunquam desideraverunt, propter rectorum nequitiam : nam fuere quos major rei suæ quam studentium et collegii cura tenuit; qui studiis invigilare dedignabantur, leges et statuta collegii obsolescere sinebant, domus omnes reditus atque omnia bona in propriam utilitatem consumebant, commissum sibi gregem obliti, modo ipsi divitias suas augerent. Propterea anno 1483 Nicolaus *de Messiac,* Rector, de quo scholares graviter conquesti erant, ab officio turpiter ejectus fuit; callidius autem Rossetus Rector, incuria, avaritia, omnique vitiorum genere notus, omnibus invitis, triginta annos Collegio Sancti-Martialis præfuit. Is sex monachos e suo prioratu de Rosanis exegerat, et sex tantum vel septem studentes in collegio parcissime alebat, eosque etiam libris privabat. Imo missum ab abbate Cluniacensi inspectorem detrusit, armatosque ipse satellites ad portam collocavit, qui aditum prohiberent; collegii bona usurpabat, silvas cædi jubebat, et cæsas arbores veluti proprias vendebat; ædificia corrui sinebat, omnibus denique modis pecuniam contrahebat [2]. Officium etiam moribus dedecorabat, et mulieres sæpius in collegio, magna cum offensione mari-

1. Statuta a Joanne *Dublé* condita anno 1550. In *Hist. rect. col. Sancti-Mart.*, p. 47.

2. *Hist. col. Sancti-Mart.*, p. 28, 29.

torum, pessimoque exemplo studentium, noctu detinebat [1].

Deinde minime mirum est, si in ipsum collegium paulatim, tum incuria, quum pravis exemplis Rectorum, vitia irrepserint. Tum discipuli statuta ac disciplinam gymnasii obliti, ad suum quisque arbitrium vivere cœperunt : tum studiorum horas ipsi sibi statuere; collegii primum ante fores et crucem, carcere contempto, « *multarum inde carnalium cupiditatum occasiones sumentes* », confabulari; publicas deinde lectiones deserere, et per urbem otiosi vagari, et lascivis voluptatibus indulgere [2]. Atque ita invaluerunt pravi mores, ut anno 1514 Leo X eos a victu prohibuerit, qui Universitatis magistros non audirent [3]. Anno 1540 expulsionem edictam fuisse accipimus, si quis « *ter manus violentas injecerit in fratres, aut furtum manifestum commiserit, aut ter pernoctaverit in urbe, aut mulierem suspectam et lubricam in collegium introduxerit semelque de incontinentia convictus fuerit* » [4] : tanta fuit tunc morum pravitas, ac studentium nequitia!

Quum ea esset studentium inter claustra viventium conditio, apparet sane qualis esse debuerit ceterorum vita, qui sine lege, sine rectore aut custode, liberi passim in urbe degebant. Hi enim, ut plures erant ita longe turbulentiores et lasciviores semper fuere, et voluptatibus multo libentius quam legum studio dediti [5]. Conviviis itaque animum, corpus saltatione optime recreabant, ita ut magistros de gravissimis rebus disserentes, ubi tibiarum sonitus increpuerat, statim omnes desererent [6]. In choreis, quarum certe quam legum peritiores fiebant, puellas colebant, quarum amore sæpius libros omittebant. Tum minus ediscendis legibus quam revellendis claustris, aut transcendendis muris, aut etiam

1. *Hist. col. Sancti-Mart.*, p. 38, 40.
2. Statut. a Joan. *Dublé* cond. *Hist. col. Sancti-Mart.*, p. 45.
3. *Bull. civit. Aven.*, p. 74. — VALLAD., *ibid.*
4. Stat. a Joan. *Dublé* cond.
5. ARENA, p. 7, 1670.
6. *Ibid.*, p. 33. — VALLAD., *ibid.*

viæ per tecta quærendæ accingebant se, ut amatam puellam inviserent. Ceterum, in culpa quantum fidei potest esse, fidem optime servabant, neque parentum nummis parcebant ut grata ferrent amatis puellis; sæpe etiam libros aut vestes pignora dederunt, ut pecuniam in munera, aut convivia compararent [1].

Nec tantum lascivæ eorum naturæ mollitia et amores, sed etiam protervo ingenio jurgia placebant, et male habebatur quicumque gentem illam manibus haud facile temperantem lacessiverat. Itaque conviciis et rixis civitatem perturbabant, eo præsertim tempore quo abbas eligebatur, qui sæpius ex Provinciali natione, quippe quæ numero maxima esset, sumebatur; tum alius alium verbis primum, deinde ictibus petere; inde pugnæ ex quibus non doctissimi, sed robustissimi victores evadebant : inde etiam civibus terrores, et magnæ magistratibus curæ, qui quum studentibus arma tollere frustra nonnunquam tentavissent, decertantes impugnare coacti sunt. Quoties vero armis usi sunt cives, ridiculus fuit pugnæ exitus : adventante enim tironum civium cohorte, statim ex utraque parte pugnam omittebant, et insolitis armis impeditos cives risu et cavillationibus aggrediebantur. Deinde urbem terruisse contenti, discedebant. Eo etiam licentiæ venerant, ut Aquensibus studentibus vitio verterent, quod « *Parlamenti* » severitati cederent; dum ipsis Avenionensis curia, ne quid majus auderent, summam in civitate libertatem concesserat.

Imo Bacchanalium tempore, si quis Judæorum protervæ studentium turbæ occurreret, quæ per urbem variis et insolitis vestibus vagari solebat, ei male acuta novacula barbam tondebant; si qua meretrix, eam flagellis verberabant; utrique, si supplicium vitare vellent, danda erat pecunia [2]. Qui mos septimo decimo sæculo tandem obsolevit, postquam studentes pudicas etiam puellas, invidiæ causa, cædere ausi

1. ARENA, p. 33 et 77.

2. *Ibid.*, Hæc erant duo peculiaria studentium jura, quorum alter gallice nominabatur *droit de barbe*, alter *droit de batacule*.

erant [1]. Neque ulla erat civibus quies, nisi quum pestilentia in urbe desæviret; tum enim studentes, morbo solitam pestem fugante, sese et omnia sua secum auferebant; cessante autem morbo, redibant, fiebatque per urbem idem concursus idemque tumultus [2].

Facile intelligitur tales studentes parum in studiis profecisse, ita ut parentes eorum quererentur, eos vitia melius quam leges ediscere, et domum minus scientiæ quam flagitiorum reportare.

CAPUT III

A QUIBUS PATRONIS ET QUALIBUS OPIBUS UNIVERSITAS ADJUTA FUERIT

Avenionem Universitatis recens conditæ atque approbatæ vulgata fama confestim studentibus celeberrimam fecit [3], juvantibus etiam, quum urbis ipsius deliciis, tum tranquillitate et securitate, quibus in civitate bene composita discipuli fruebantur [4]. Sedata enim fuerant civilia bella, ex quo fœdus Avenionenses pepigerant cum Provinciæ comitibus (1251). Itaque urbem certe omnino pacatam intraverunt summi Pontifices, qui a Clemente V, per annos septuaginta ferme, continuam Avenione mansionem habuerunt : inde magnum non solum civitati decus, sed Universitati etiam incrementum. Inde urbis mutata facies. Inde augeri civium advenarumque numerus, ita ut Avenio, parvula

1. Fransoy, t. I, f^os 128. 129. — *Supplique des notaires pour la suppression de l'abbé de la Bazoche.*
2. Arena, *ibid.*
3. Cadec., *De prim. Univ. Aven. erect.* : *Univ. d'Avig.*, t. I; *Hist.*, f° 39.
4. Camb. de Vell., t. II, f° 141 v°.

antea civitas, sui jam non capax latius produci, et in campum descendere cœperit [1]. Nobili etiam episcoporum, principum atque imperatorum hospitio inclaruit, quos ad summum Pontificem aut debitus Papæ honos, aut sperata justitia, aut expectatum in causis judicium, aut quæsita gratia detinebat. Rerum publicarum abditissima arcana difficultatesque inextricabiles vidit intra sua mœnia explicari. Optimatum assuevit pompas regiosque apparatus mirari : antiquus ille Cavarum pagus caput factus est Christiani totius imperii [2]. Tum primum etiam ornamentis dignitati paribus decorari civitas. Tum templa erigi, tum ædes sumptuosissimæ exstrui [3]. Inclytissimam illius ætatis aulam tunc habuit Avenio, eademque excepit prudentissimum cardinalium collegium, viros amplissimos, oratores, poetas, artifices peritissimos.

Pontifices enim fere omnes, qui Avenione commorati sunt, tam magis litteris et scholasticis favebant, quam magis ipsi ingenio præstabant [4]. Ceterum ea in Universitatem benevolentia non omnino Paparum propria fuit : eadem certe usi sunt quicumque Pontificem circumstantes, aut ingenio, aut gratia, aut opibus, cardinales enituere. Hanc circum Pontificum aulam multos, quarto decimo sæculo, Avenio tenuit, qui, et præsentia, et nomine, magnum litteris atque doctoribus hortamentum attulerunt. Talium concursu virorum Avenionensis Universitatis studia mire accendebantur. Omnes enim magistri sese tam claris patronis dignos præstare cupiebant, et ad eorum propensam voluntatem spectatum que judicium, quidquid aggrediebantur dicere, accommodabant. Prodigiosa est inde exorta inter doctos æmulatio, qua multum quisque, dum ceteros studebat præcellere, proficiebat.

Quam Avenionensi Universitati præsentes Pontifices

1. Guérin, *Abrég. de l'Hist. d'Avign.*, p. 75.
2. *Ibid.*, p. 76.
3. P. Achard, *Notes sur quelques anc. artist.*, p. 1.
4. Vallad., *ibid.*

attulerant prosperitatem, recedentes minime ademerunt. Eugenius IV, Sixtus IV, Innocentius VIII, Leo X et Benedictus XIV, pristina Academiæ privilegia confirmaverunt, imo nova concesserunt. Præterea Galliæ regum et Sabaudiæ ducum beneficio amplificatæ sunt doctorum discipulorumque immunitates [1].

Privatorum etiam munificentia crevit Universitas : cui, anno 1419, Amædeus, Cardinalis Salussiarum, baccalaureatus gradu ab ea donatus, testamento legavit dimidiam bibliothecæ suæ partem ex libris manuscriptis constantem [2], inter quos fuit quoddam juris civilis corpus remotissimam ita redolens antiquitatem, ut quidam illud ipsum volumen unum esse ex iis arbitrarentur, quæ Justinianus imperator in provincias miserat [3]. Sic ille optimas grates Universitati persolvit, et simul magnopere profuit discipulis, quos tum, typographiæ arte nondum inventa, et paucitas et caritas librorum in studiis impediebant [4]. Ex liberalitate amplissimi viri initium mihi videtur cepisse Universitatis bibliotheca, cui locus apud collegium Sancti-Martialis destinatus est anno 1427 [5]. Bene etiam de Universitate meruere Julianus de Ruvere, qui labefactam scholarum disciplinam restituit, cardinalis de Arminiaco, qui indefessus litteratorum patronus exstitit; Dominicus de Marinis, archiepiscopus Avenionensis, qui duas cathedras alteram Theologiæ, alteram philosophiæ erexit, docentisque in utraque mercedem propriis nummis in perpetuum constituit [6]. At magis voluntate, quam effectu Universitatem adjuvit doctor quidam nomine *Feraudi*, cujus hæredes, quum ipse mille et quingentos scutos reli-

1. Cadecomb., *Nov. disq. leg.*, c. XXIII, p. 120 et 123. — *Bulla Benedicti XIV.* — Camb. Vell., t. IV, f° 302.
2. Cadecomb., *ibid.*, p. 120.
3. Camb. Vell., *ibid.*
4. Cadecomb., *ibid.*
5. *Ibid.*, p. 120 et 121.
6. Vallad., *ibid.* — Justin Boudin, *Hist. des guer. du Comt. Ven.*, t. 1, p. 268. — Cadecombe, *Speculum. Vir. illustr.*, etc., p. 20. — Barj., *Dict.*

quisset novo magistro solvendos, qui tres ultimos codicis libros exponeret, pecuniam tradere recusarunt. Inde lis exorta, a qua tandem, anno 1699, desistere Universitas propter hæredum inopiam coacta est [1].

A privatis quoque condita sunt collegia [2], quæ pauperibus juvenibus hospitium victumque et libros una cum doctrina præberent. Jacobus *de Caussans,* abbas Cluniacensis, primus Clementis VII jussu domum suam, anno 1379, in collegium convertit, ubi duodecim sui ordinis discipuli decretis studerent [3]. Ex bulla ejusdem summi Pontificis anno 1379 data, Petrus de Crosso [4], archiepiscopus Arelatensis, in novo Sancti-Martialis collegio ecclesiam ædificavit et statuta condidit [5]; eodemque anno, data altera Clementis VII in approbationem collegii bulla, concessa tria beneficia vel « *prioratus* » in posterum studentibus victum suppeditaverunt [6]. Postea Joannes de Broniaco collegium Annessiacum, sancto Nicolao dicatum, anno 1424 instituit, in quo quatuor et viginti scholastici jus civile et canonicum ediscerent, quorum octo e diœcesi Genovensi, octo e Sabaudiæ ducatu, octo denique e Viennensi, vel Arelatensi provincia [7]. Constituenda collegiorum instar Parisiensis et Tolosani statuta demandavit episcopis Massiliæ et Vasionis atque Universitati Avenionensi [8].

1. *Mémoires sur l'Univ. d'Avign., ms,* f^os^ 137 et 180.

2. « Demum..., licet addere, non modicum famæ incrementum adjici Academiæ Avenionensi ex fundatione collegiorum septem pro alendis alumnis studentibus in Universitate Aven. » (Cadecombe, *Fragmentum de Prim. Univ. Aven. erectione,* in volumine cui titulus : *Univ. d'Avign.; Hist.,* f° 47 v°.

3. Anno 1601 Claudius *Laurent* duodecim studentibus tres sumptu suo alendos adjecit. (*Hist. des rect. du coll. de Saint-Martial,* p. 29 de la traduction française). — Camb. de Vell., t. II, f° 136 v°.

4. Falso quidam scriptores Petrum de Crosso veluti conditorem divi Martialis collegii nominant.

5. Camb. de Vell., *ibid.*

6. *Ibid.* — *Hist. des recteurs du coll. de Saint-Martial.* — Tres prioratus erant ii locorum Podioleni, Grisaci et Fineti.

7. Camb. de Vell., t. II, f° 138.

8. Camb. de Vell., *ibid.*

Cujus fundationis laudem si non omnino, ut quidam existimant, Martino V referendam, ambobus certe communem esse arbitramur, quum Martinus difficilem testamenti Cardinalis de Broniaco, exsecutionem multum adjuverit, et, dato in collegium Benedictorum monasterio cum ecclesia, studentibus quoque alendis prioratus Bolenæ fructus, anno 1431, assignaverit [1]. Aliquot post annis, Julianus de Ruvere tertium collegium condidit anno 1476, in quo sex et triginta juvenes, quum Cæsareo, tum Pontificio juri incumberent [2]. Novum collegium de Ruvere a conditoris nomine dictum, Richeranciæ *feudo* a Juliano fuit donatum [3]. Anno 1483, Joannes Isnardus legum doctor in Universitate Avenionensi Sancti-Michaëlis collegium erexit sex tantum civilis juris discipulis [4]. Quintum paulo post, anno 1491, collegium quoque, de Sinanca dictum, instituit Joannes Casaletus, abbas monasterii sanctæ Mariæ de Sinanca, sex tantum e familia cisteriensi monachis, qui decretis et theologiæ studerent [5]. Sæculi sequentis initio Guillelmus *Ricci* sextum collegium fundavit, anno 1500, et duodecim vel decem studentibus, qui in eo juri civili et decretis incumberent, non modo domum suam et annuam ducentorum florenorum pecuniam cum agris et vineis quibusdam in Avenionensi territorio sitis, sed etiam bibliothecam centum voluminibus constantem et sacellum sacris atque ornamentis instructum reliquit. Curavit quoque ut studentes, sese etiam defuncto, inter cognatos suos, si quidam forte essent, vel inter incolas Provinciæ Arelatensis eligerentur [6]. Septimum autem collegium Universitatis Avenionensis Montis-Majoris monachorum fuit, antiquissimum : quod

1. Camb. de Vell., *ibid.* — Teyssier, *Hist. ms de la ville d'Avign.*, t. II, f° 58.

2. Camb. de Vell., t. II, f° 140. — Cadecombe, *Nov. disq. leg.*, *ibid.*, p. 122.

3. Camb. de Vell., *ibid.* — Postea Juliani fundatio a Leone X confirmata fuit (Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 103).

4. Camb. de Vell., *ibid.* — Cadecomb., *ibid.*

5. *Ibid.*

6. Camb. de Vell., *ibid.*, f° 141.

quidem aliquandiu clausum, rursus autem anno 1551 apertum, Divionense primum dictum fuit, deinde sancto Eutropo dicatum. Ibi studentes sancti Benedicti ordinis studio divinarum rerum et decretorum sese applicabant [1]. Hæc omnia collegia sub septimi decimi tantum sæculi finem clausa fuerunt, excepto solum collegio Annessiaco, quod tamdiu, titulo seminarii capto, duravit, quamdiu Universitas. Ceterorum locum excepere duo seminaria, unum sancti Caroli (1702), alterum sanctæ Gardæ dictum (1710); atque eorum bona in Jesuitas collata sunt, qui, jam ab anno 1564, Avenione collegium erexerant [2].

Civitas ipsa liberalissimo in Universitatem studio usa, plurima in eam per trecentos annos officia contulit. Namque, anno 1470, in scholarum ædificationem et magistrorum grammaticæ, logicæ et philosophiæ salarium pecuniam edixit [3]. Publico etiam sumptu celeberrimos e variis regionibus conduxit magistros, quorum nomine studiosa juventus Avenionem alliceretur. Sic, anno 1497, Hispano Antonio *Comarcy* in Universitate locum et mercedem ex proprio ære dedit; sic a Mediolano deinde Philippum Decium anno 1515, eodem præmio vocavit. Qui tamen Avenionem venire non ausus est, quia Ludovici XII regis Galliæ partes adversus Julium II nuper sustinuerat. Deinde Joannes-Franciscus Ripa Sannazarius, Papiensis, arcessitus amplissimam aureorum mille mercedem, anno 1518, accepit [4]. Andræam tamen Alciatum aureorum sexcentorum præmium non detinere potuit. Civitas vero Æmilium Ferretum scutorum ad solem mille et ducentorum remuneratione usque ad supremum diem sibi conciliavit [5]. Successori ejus Aimonio Cravettæ (1552) et deinde Angelo Papio Italo (1554) scutos mille assignavit [6]; centum vero tantum scutos

1. Camb. de Vell., *ibid*, f° 141.
2. Barj., *Dict.*, t. II, p. 458. — Nostrad., *Hist. de Prov.*, p. 800. — Jesuitæ ab urbe discesserunt anno 1768 (Justin Boudin, *ibid.*, t. I, p. 203).
3. *Délibérations du Conseil de ville.*
4. Cadecomb., *ibid.*, p. 122, 123.
5. *Ibid.*, p. 125.
6. *Ibid.*, p. 126.

Hieronymo a Laurentiis, quem oratorem elegerat, attribuit [1]. Sed Patribus societatis Jesu non solum hospitium, anno 1564, dedit; sed summam quadringentorum scutorum aureorum, victus causa, quotannis solvendam decrevit [2]. Neque ab ea liberalitate, quanquam, dum Hugonoticum sæviret bellum, ære alieno gravata, destitit. Namque, anno 1608, Franciscum Ubaldum, Perusinum mille et ducentorum scutorum pretio conduxit [3]. Deinde, post Franciscum *Balderchi* (1668), qui ab uno tantum scriptore [4] nominatur, nullum alium a civitate conductum fuisse accipimus; tum enim simul ac civitas cum Universitate simultates exercere cœpit, benevolentiam deposuit. Utcumque se res habuit, ea ætate, et propriis opibus, quum summa scientiarum varietate floreret, et civitatis largitate, Universitas ita profecit, ut non solum studentium numero, sed et divitiis facta sit maxime conspicua.

Anno enim 1398 septingentos florenos civitati credere potuit [5]. Post magnum schisma, a quo grave ea videtur damnum accepisse, pauper rursus facta erat, neque eorum qui docebant mercedem solvebat. Paulatim autem Pontificum liberalitate sublevata est : namque, anno 1479, Sixtus IV, ne pecunia indigens Universitas professoribus quoque indigeret, Comitatus Venaiscini tabularia ei concessit [6]. Sed, « *Rectoriatus appellationum* » tabularia sine controversia assecuta Universitas, officia « *Ordinariæ* » civitatis Carpentoractensis et aliorum locorum adipisci nequivit. Hæc enim concedere nolebant illi qui ea jam possidebant, causantes præscriptam unionem « *non debere effectum sortiri eorum vita durante* ». Quibus summus Pontifex, excommunicationem minatus anno 1482, imperavit, ut tabularia Primicerio atque doctoribus traderent.

1. Barj., *Dict.*
2. Just. Boudin, t. I, p. 253.
3. Cadecomb., *ibid.*, p. 127.
4. Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 217.
5. Perrin, *États Pontificaux de France*, p. 45.
6. *Bullar. Civit. Aven.*, p. 65.

Denique, quo magis Universitatem adjuvaret, ei curiam Vice-gerentiæ cameræ apostolicæ civitatis Avenionensis « *incorporavit* » eodem anno [1]. Sed Alexander VI, anno 1493, Petrum *Guichardi* « *Vicegerentem* » ab Universitate institutum ex officio movit, quod ipse sibi, quasi proprium et perpetuum jus sedis apostolicæ, vindicavit, et Clementi de *Choreis* commisit. Ne tamen Universitatem omnino fraudaret, Vice-gerentiæ emolumenta inter Clementem et doctores pariter bipertivit, et suam, iis qui legerent, mercedem servavit [2]. At quum remunerandis professoribus reditus Universitatis non sufficerent, anno 1503 ante diem duodecimum Kal. Junias, in doctorum collegio statutum fuit, ut mitterentur legati, qui et a Reverendissimo Domino Legato, et, si opus foret, a summo Pontifice, tabularia « *curiæ conservatorum* » Universitati repeterent [3]. Quod impetraverunt, non quidem ab Alexandro VI, qui eodem anno ante diem quintum decimum Kal. Sept. diem obiit, sed a Leone X, cui præcipue curæ fuerunt Universitatis utilitas et commoda. Is igitur non modo tabularia jam concessa reddidit, sed et nova scilicet Paternarum, Montiliorum, Malaucenæ et Civitatis Cabellionensis officia adjecit [4]. Qualis ex tabulariis illis Universitati primum fructus venerit, nescimus. Solvebantur a scriba Valreaci quinque et quinquaginta floreni anno 1509 [5]; ab eodem plus quam viginti scuti aurei ad signum solis anno 1531 [6]; a scriba Insulæ quadraginta scuti aurei ad signum solis anno 1534 [7]. Ceterorum tabulariorum proventum nusquam legimus. Qui certe tamen exigui fuerunt, sive lites defuerint aut neglectæ fuerint, sive scribæ rationes male reddiderint. Pravum hunc morem emendare conata est Universitas, et,

1. *Bullar. Civit. Aven.*, p. 68 et 69.
2. *Bull. Civit. Aven.*, p. 71.
3. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 71 v°.
4. *Bull. Civit. Aven.*, p. 84.
5. *Univ. d'Avign.*, t. II; *Docum. divers.*, f° 7, *ms.*
6. *Ibid.*, f° 9.
7. *Ibid.*, f° 11.

tabulariorum reditus non jam communicans cum scribis, officia illis in perpetuum, annuo præfinito censu, contulit. Scribarum vero, quo fidem atque diligentiam magis excitaret, munia quasi hæreditatem filiis relinqui, aut cuivis alii tradi sivit, ea tantum lege ut successor modicam pecuniam daret, quæ vulgo vocabatur « *componende* [1]. » Sic tabulariorum proventus adaucti sunt. In quo miranda est solertia Universitatis quæ « *componendis* » non contenta, nummos etiam exposcebat a scribis quos, antequam eos in possessionem tabulariorum mitteret, in experimentum ingenii et calliditatis, interrogari curabat. Etenim, anno 1598, scriba loci de Montiliis non solum unum scutum cuique doctorum aggregatorum « *pro componenda* », sed et duplum Primicerio et quatuor regentibus « *pro juribus examinis* » et similem summam « *bedello pro litteris coadjutoriæ* » solvit [2]. Eodem anno, dimidium tantum ejusdem pecuniæ dabatur de « *coadjutoria Graffariatus* » in Carpentoractensi curia appellationum. Inde magna in hoc redituum genere variatio, præsertim quum sæpius Universitas scribis « *componendarum* » immunitatem concesserit, aut ipsa debitam pecuniam quotannis non exegerit. Sic in spatio viginti annorum Universitas libras circiter septem millia et ducentas sexaginta percepit [3]. Sed annuos tabulariorum proventus nunquam remisit, quos alios quoque aliis temporibus videmus. Anno 1608, ex omnibus tabulariorum suorum scribis, Universitati ducenti viginti duo scuti aurei ad signum solis et quadraginta solidi venerunt [4]. Sed, anno 1691, tabulariorum annui reditus ita decreverunt, ut summam modo centum nonaginta trium scutorum et quadraginta solidorum attingerent [5]. Annis 1705, 1718 et 1770 pervenerunt ad ducentos octo et septuaginta scutos quibus oportet nonaginta

1. *P. relat. à l'Unio. d'Avign.*, t. III, f° 763, 769.
2. *Unio. d'Avign.*, t. I; *Hist.*, f° 59 v°. Ex libro conclusionum.
3. *Ibid.*, t. III, f° 538.
4. *Ibid.*, t. I, f° 414, 415.
5. *Ibid.*, f°s 426, 428,

quatuor centum fere libras addere [1]. Ergo variorum fructuum, media computatione facta, ex tabulariis Universitati summam ducentorum circiter scutorum provenisse quotannis arbitramur. Quæ pecunia dividebatur inter professores. Sed capones, pulli, columbæ, anserculi, cuniculi, hœduli, vituli, quos dono dare quotannis scribæ solebant, Primicerii mensæ apponebantur [2].

Alios etiam fructus capiebat Universitas ex pecuniis in fœnore positis apud varias Comitatus Venaiscini civitates, ex quibus redibat, anno 1608, summa centum septuaginta novem scutorum aureorum ad signum solis; solvebatur, anno 1691, a civitate Avenionensi summa ducentorum septuaginta novem scutorum; a ceteris debitoribus septuaginta quatuor scutorum. Ex quibus pecuniis conjunctis summa fiebat trecentorum quinquaginta trium scutorum. Quæ quidem, anno 1705, reducta est ad trecentos et quadraginta quinque scutos : sed, anno 1718, crevit scutis undecim [3]. Sæculis igitur septimo et octavo decimo Universitas annuum percipiebat trecentorum et quinquaginta scutorum reditum ex variis pecuniis commodatis, quem si addiderimus ducentis ex tabulariorum fructu scutis in totum conficietur summa quingentorum scutorum, id est mille et sexcentarum quinquaginta librarum. Cui jungendi sunt fortuiti componendarum proventus, id est trecenti sexaginta tres scuti circiter pro quolibet anno, qui in libras conversi dant summam mille et octoginta novem librarum. Unum igitur e singulis illis reditibus numerum faciemus, atque ita habebimus summam bis mille et septingentarum triginta novem librarum, quæ quotannis Universitati solvebantur.

Hæc autem pecunia, quæ, dum rarior moneta, satis ampla fuit, parva sane facta est, ubi abundare cœperunt

1. *Univ. d'Avign.*, f^os^ 436, 438. — *Ibid.*, t. II; *Docum. div.*, f^os^ 239, 241. — *Ibid.*, t. III, f^os^ 546, 547.

2. *Ibid.*

3. *Ibid.*, t. I, f^os^ 412-413, 424-425, 424-426, 433-435. — *Ibid.*, t. II, f^os^ 237, 239.

nummi. Octavo decimo igitur sæculo, divitiis minus quam prisco tempore prævaluisse videtur Universitas, quæ ab anno 1684 ad annum 1750 ære alieno ita cœpit opprimi, ut summam vicies mille et quadringentarum quinquaginta librarum debuerit [1]. Quam pecuniam ut solveret, a summo Pontifice efflagitavit ut, ex trecentis et triginta millibus librarum, quæ a Gallica vectigalium societate quotannis Sanctæ Sedi numerabantur, decem aut duodecim millia librarum excerperentur, quarum usura per decem aut duodecim annos Universitati concederetur [2]. Nihilominus denique, anno 1790, Universitas centum mille et nongentarum novem et triginta librarum proventum habuit, quem professores inter se emolumenti instar partiti sunt [3]. Satis ex his omnibus documentis certe apparet quemadmodum, crescente Universitatis laude, creverint etiam ejus divitiæ, et, rursus ipsa inclinante, imminutæ quoque opes ceciderint.

CAPUT IV

DE PRIVILEGIIS UNIVERSITATIS

Quemadmodum, media ætate, omnes, sive artifices, sive mercatores, in societatem coacti, privilegiis certis fruebantur, sic Universitates multis immunitatibus ornatæ sunt : inter quas Avenionensis Universitas vel ab ipso initio plurima sibi vindicavit, quum loci opportunitate freta, tum patronorum potestate atque auctoritate. In vicinio enim Gallici regni, eademque simul sub ditione Sedis apostolicæ

1. *Univ. d'Avign.*, t. II; *Docum. div.*, f° 332.
2. *Ibid.*, t. III, f° 759.
3. *Annuaire de Vaucluse de 1854*, p. 246.

posita, omnia fere et Gallicarum et externarum Universitatum privilegia habuit. Ac primum, quoniam apud Gallos « *regnicola* » [1] ea dicebatur, conditionis ejusdem particeps facta est, cujus erant omnes Galliarum incolæ, quum ab anno 1479 venit cum Gallis in consortium juris ac privilegiorum ex jussu Ludovici XI [2]; inde omnes, qui Avenione doctores aut licentiati facti erant pari auctoritate fruebantur ac si in aliis Universitatibus gradus assumpsissent, ita ut beneficia in Gallia obtinere, docere, advocationem et magistratus exercere possent [3]. Quod quidem, aut æmulationis aut invidiæ causa, simultates et contentiones gravissimas sæpius intulit, quum ceteræ regni Universitates in Avenionensem, tanquam in extraneam inveherentur. Sic, anno 1656, Valentina Universitas Avenionensem quemdam medicum a morborum curatione depulerat, velut extraneum, eademque, postquam tamen longis discordiis finem fecerat amicitiamque cum Avenionensi Universitate, anno 1678, junxerat, rursus, anno 1698, nostram extraneam in statutis suis declaravit. Sed omnium longe infensissima fuit Aquensis Universitas, quippe quæ ab anno 1613 ad octavum decimum sæculum perpetuis jurgiis atque injuriis Avenionensem vexaverit, quod eam « *regnicolam* » agnoscere nollet [4]. Ea primum, anno 1648, quinque doctores Avenionenses medicinam Telone Martio exercere vetuit, atque alium deinde Avenionensem Fori Julii commorantem medicum anno 1660 eadem prohibitione coercuit, quanquam interim, anno 1650, Rex Gallorum nostram Universitatem « *famosam* » et nomine et privilegiis declaraverat. Postquam regis arbitrio sedata est contentio, novam iterum anno 1673 suscitavit Universitas Aquensis, quæ pacti anno 1669 fœderis oblita, damnata est iterum a rege Ludovico XIV. Nec fuit tamen hic finis simultatum, nam postea,

1. *Regnicolæ* dicebantur ii quibus Gallorum jura concessa fuerant.
2. *Recueil Privil. gratu. Univ. Aven.*, p. 148.
3. *Ibid.*
4. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f^os^ 180, 138, 187, 127, 181.

anno 1704, Aquensis Universitas sexaginta libras a doctoribus Avenionensibus exigere cœpit, si quis litteras suas in acta Universitatis referri vellet, quum quindecim tantum ex pactis antea, anno 1669, conditionibus solverentur : Avenionensis Universitas neque operæ, neque pecuniæ pepercit ut sua jura tueretur, tandemque, anno 1709, finem contentioni fecit, ita ut, sine controversia, suis privilegiis frueretur [1].

Interea duces Sabaudiæ pro virili parte fautores Avenionensis Universitatis semper exstiterunt : anno 1652 Emmanuel princeps « *majorum suorum more* » Avenionenses doctores et « *graduatos* » libere artem suam profiteri jussit in omnibus suæ ditionis regionibus : idemque eos iisdem privilegiis atque immunitatibus ornari voluit, quibus Sabaudia orti doctores ac magistri ornarentur [2].

Regum tamen munificentiam summi Pontifices longe superaverunt; quorum alii, et in primis Clemens V anno 1309, deinde Urbanus V circa annum 1367, ac postremo Eugenius IV, concessa jam Universitati jura confirmaverunt, alii nova adjecerunt [3]. Nam Joannes XXIII, anno Pontificatus quarto, tribuit Universitati Avenionensi « *ac personis eidem adscriptis, privilegium fori* [4] *seu conservatoriæ* », quo et jura et bona, tum mobilia, quum immobilia, defenderentur ac conservarentur. A quo tempore Avenionenses doctores et studentes a conservatoribus judicari cœperunt, neque eos ex civitate, delicti vel contractus causa, extrahere cuiquam licuit [5]. Quod quidem Sixtus IV et Innocentius VIII confirmaverunt annis 1479, 1484, 1485 et 1488, magno « *Auditoris generalis aliorumque* » Legationis Avenionensis officialium detrimento, quorum jurisdictio sic imminuta et pene exstincta fuit : itaque acerrime

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f^os^ 126, 128, 151, 164, 173, 181, 257, 260.
2. *Ibid.*, f^o^ 132. — *Epit. Priv. gr.*, p. 147.
3. Fransoy, *Hist. ms d'Avign.*, t. I, f^o^ 124. — *Bull. civit. Aven.*, p. 63. — Cadecomb., *Nov. disq. leg.*
4. Id est jus habendi proprios judices.
5. *Bull. civit. Aven.*, p. 81.

ii invecti sunt in conservatores, quod non solum doctorum Universitatis officia exercentium, et scholarium in Universitate studentium, sed aliorum quorumlibet doctorum causas sibi arrogarent [1].

Res primum delata est ad congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ anno 1597 *privilegium fori* confirmavit quum de doctoribus legentibus, tum de scholaribus qui studiis vere operam darent. Sed paulo post, anno 1599, ejusdem privilegii participes facti sunt omnes doctores, qui, quamvis non legerent, aliud quodlibet Universitatis Avenionensis munus modo exercerent. Cui rei consentaneum decretum tulit eodem anno Franciscus Bordinus, Avenionensis Archiepiscopus et Prolegatus [2]. Eodem privilegio, quanquam obstiterunt doctores aggregati, qui, anno 1679, ex novo cardinalium judicio proprium illud ac peculiare acceperant, frui tamen omnes doctores, Innocentio XI fautore, potuerunt, donec, anno 1741, cardinalium congregatio privilegium fori eripuit omnibus doctoribus, sive aggregati essent, sive non essent, qui in Universitate docerent. Paulo post, anno 1745, Benedictus XIV, iterum judicata causa, doctoribus omnibus et studentibus et bidello et aliis ab Universitate remuneratis ministris *Conservatoriam,* vel fori privilegium restituit. Voluit tamen summus Pontifex causarum gravissimas quidem, ad Prolegatum deferri, leviores deinde et quasi medias, ad ordinarios judices, denique ad conservatores levissimas omnium, id est, fiscales, et criminalium minimas, in quibus « *privilegiatus peteret alicujus spolii redintegrationem vel alicujus damni refectionem* [3]. Sic post longas disceptationes, omnes Avenionensis Universitatis doctores, studentes ac suppositi in jura, quibus antea fruebantur, restituti sunt.

Præterea concesserat Sixtus IV ut Avenionenses magis-

1. *Bull. civit. Aven.*, p. 64 et 82. — *Benedicti XIV const.*, p. 4. — CADECOMB., *ibid.* — MASSILIAN, *P. rel. à l'Univ.*, p. 46 du t. I.
2. *Benedicti XIV const.*, p. 7.
3. *Ibid.*, p. 8-17.

tri ac studentes, sive seculares, sive regulares essent, sive animarum curam haberent, sive non haberent, beneficiorum, quamvis debito in loco non residerent, fructus ac reditus perciperent; quod privilegium Joannes XXII jam antea Parisiensi Universitati dederat [1]. Ceterum ab anno 1303 doctores et studentes Avenionenses omnia jura exercebant, quæ magistri ac discipuli in ceteris Universitatibus versati : imo a Bonifacio VIII permissa fuerat iis, qui gradus idoneos Avenione sumpsissent, legendi per totum orbem terrarum ac docendi facultas [2].

Sed his omnibus doctorum ac studentium communibus privilegiis peculiaria quædam ordinis cujusque accedebant. Doctores primum urbana militia immunes erant; quos, anno 1621, nequidquam consules civitatis ad excubias agendas cogere voluerunt [3]. Præterea nobilitatis titulo decorabatur quicumque viginti annos artem suam in Universitate professus esset : sic facti sunt *a Legibus Comites* Jacobus de Novarinis, anno 1558, Gabriel-Maria Crozetus, anno 1699, et multi alii, quorum nomina referre prope infinitum esset. Constat etiam, ex deliberatione collegii anno 1671 habita, insigni illo honore non lectores tantum ordinarios, sed et aggregatos doctores, qui viginti in docendo annos emeriti essent, fuisse ornatos [4]. Hoc quoque doctoribus tributum fuit ut « *de vicinia fabrum malleantem* » expellere possent, ne strepitu a studiis aut lectionibus deturbarentur, imo artificem etiam « *fœtidam artem exercentem* », vel « *musicæ magistrum ob vocem altiorem* » expellere potuerunt, et « *sonitus campanarum indiscretos* » prohibere [5]. Quæ omnia, quanquam parva sunt, satis demonstrant quantus in nostra Universitate doctoribus additus honos fuerit, quorum studia tot privile-

1. *Bull. civit. Aven.*, p. 65-66. — DUBARL., *Hist., de l'Univ. de Paris*, t. I, p. 141.
2. *Bull. civit. Aven.*, p. 58.
3. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 112 v°.
4. *Ibid.*, f° 171 v° et 237.
5. CADECOMB., *Nov. disq.*, p. 82.

giis, tum publicis, quum etiam privatis, adjuta atque ornata fuerint.

Doctorum etiam filios leges eædem tuebantur ac fovebant; mos enim erat juvenem, patre doctore orbum, « *doctoratus expensa* », vel potius impensa, immunem esse; de quo tantum singularia illa Cadecombi verba referre liceat : « Doctoris filio doctoratus expensa ne imputetur... Quod sine hac expensa filius doctoris vivere non potest... tum et quia mater propria sollicitudine filium ad doctoratum proponebat, ut foret propriis laboribus domus defensor et familiæ splendor... Filio doctoris debetur expensa doctoratus non minus quam filio mercatoris expensa pro tirocinio artis [1] ».

Studentium vero multa, nonnulla quidem miranda, fuere privilegia; inter quæ maxime animadvertimus multorum vectigalium immunitatem : studentes enim ad « *angariam* », vel ad « *taliam* », vel ad « *servitium personale* » a nemine seu « *officiali* », seu cive cogi poterant; iidemque nullum vel « *pedagii* », vel « *staralagii* », vel « *leudæ* » jus solvebant, seu per « *nuncios* » aliquid transmitterent, seu res usui et vitæ necessarias emerent. Quod a Carolo II, Provinciæ Comite, anno 1303 impetraverant, qui illis etiam concessit ut libere ac tute Avenionem venire aut ab urbe discedere possent, pecuniamque secum et supellectilem auferre [2]. Addunt etiam quidam historici « *gabellas* » et vectigalia studentibus, imposita non fuisse; quo jure forsan et doctores fruebantur; at certe, anno 1447, quum Nicolaus V « *gabellas* » ac « *vectigalia* » a civibus Avenionensibus exigere cœpisset, studentibus liberalissime pepercit, quos illis muneribus liberos declaravit. Illa immunitate studentes usi sunt, donec, anno 1554, civitati in Hugonoticos auxilia undique paranti, Universitas sese per trien-

1. CADECOMB., *Nov. disq.*, p. 82.

2. *Bull. civit. Aven.*, p. 59. *Angaria*, onera agris et personis imposita. *Angarea* ut *Angaria*, præstatio jumentorum vel plaustrorum (DUCANGE). *Staralagium*, aut omisit, aut non novit Cangius, a quo tamen verbum gallicum *Setrellage* pro sextario accipitur.

nium portoria soluturam pollicita est. Similem postea, annis 1556 et 1587, iterum sponsionem bis Universitas fecit, ita ut, ob nimiam in civitatem benevolentiam, privilegio prope orbata fuerit [1]. Nam civitas, anno 1600, nondum ære alieno liberata, ab Universitatis legatis impetravit ut portoria non solum prisca continuarent, sed et nova adderent. Tum decretum est anno 1604 ut civitas Universitati, quandiu hæc urbi insolita portoria tribueret, septuaginta quotannis scutos ex ære publico solveret, atque ita exemptionem Universitatis agnosceret. Sed, Universitas, postquam sensit se majorem dedisse pecuniam quam quæ civitati ad purgandum fœnus necessaria erat, vetera jura revocavit immunitatemque suam expostulavit. Inde lis exorta est, in qua utra vicerit, civitasne an Universitas, non satis compertum fuit. Sed ex eo ipso, quod Universitas talia jura recuperare voluit, satis apparet eam certe antea illis fuisse ornatam : imo, eadem immunitate fruebantur studentium ministri, « *nuncii, stationarii* et *scriptores* [2] ».

Præclarum illud insuper privilegium studentibus addiderant Provinciæ comites ac præcipue Rex Renatus Andegavensis, ut, si quis in vincula conjectus fuisset, eum studentium corpus in libertatem vindicare et carcere extrahere posset. Quod quidem certis quibusdam diebus quotannis fieri solebat, de quibus nullum exstat documentum. Maximum illud jus postea studentes, quia male usi erant, amiserunt. Singulare etiam atque admodum ridiculum, nisi eo sæpe crudelius usi essent, jus ab eodem Renato rege studentes acceperant, quod Avenione eo diutius viguit, quod studentes in eo exercendo et voluptatem et pecuniam invenerunt. Judæorum « *Barbam* » et meretricularum « *Bataculam* » dicimus, de quibus supra mentionem fecimus. Sed mox in licentiam et vitium versa

1. *Bull. civit. Aven.*, p. 63. — *Preuves en droit et en fait*, p. 5-9.

2. *Ibid.*, p. 9-13. — *Bull. civit. Aven.*, p. 59. — De *Nunciis* copiose disseruit *Chéruel (Dict.)*. *Stationarii* librorum venditores, Librarii a stationibus seu officinis librariis (Ducange).

sunt illa jura, quoniam aut æquo crudelius ab imperitis tondebantur Judæi, aut honestæ quædam mulieres immerito infamem notam patiebantur. Itaque ab illo usu desistere jussi sunt studentes, septimo decimo sæculo : qui, quum sponte privilegium omittere noluissent, armis tandem coacti sunt, ac simul impositum fuit Judæis ac meretricibus tributum, quo solitæ epulæ studentibus pararentur. Quod tributum anno 1789 Judæi, novarum rerum gratia, solvere desierunt [1].

Fuere etiam multa studentium privilegia quorum duo tantum referemus. Noctu cum gladio sine lucernis ambulare per vias urbis poterant, et gratuito in spectaculis loco fruebantur. Duodecim primum cum Rectore, Abbate et Vice-rectore libero in theatrum accessu donati erant, eoque jure omnes studentes, alternis vicibus, utebantur. Sed alius fuit aliis temporibus admissorum numerus, ita ut sub finem octavi decimi sæculi bini tantum scenicis spectaculis assidere possent : quod forsan, imminuto studentium numero, paulatim mutatum est [2].

Talia fuere studentium jura, quæ quanquam primum parva videntur, sæpissime civibus, propter insolentiam ac procacitatem juvenum, molestissima fuerunt : propterea eorum usum paulatim obsolevisse videmus, donec Universitas antiquo splendore multum dejecta, ipsa tandem corruerit. Hæc enim omnia, tum doctoribus, quum studentibus concessa fuerant, ut et optimi magistri et plurimi discipuli iis allecti Avenionem convenirent; itaque simul decrevere doctorum et studentium numerus atque æmulatio, et amborum privilegia, et Universitatis fama.

1. Fransoy, *ibid.*, p. 128.
2. Fransoy, *ibid.* — *P. rel. à l'Univ. d'Avign.* t. I, f° 288.

CAPUT V

QU'ATENUS IN CIVITATIS REBUS ADMINISTRANDIS AVENIONENSIS UNIVERSITAS VALUERIT

Minime dubium est quin Universitas quatuor facultatibus instructa et summis Pontificibus, quorum beneficio floruit, devotissima, magni momenti fuerit, in ea præsertim civitate quæ per se ipsa tamdiu steterit. Suas profecto partes, suam quasi personam illa sive in bellis, sive in jurgiis et factionibus, sive etiam in civium et magistratuum consiliis egit, et proprium certe de his omnibus judicium habuit. Ideo, quæ fuerit Universitatis auctoritas, quanquam sæpius scriptores siluerunt, ex rebus tamen conjicere conabimur [1].

Ac primum in illa Clementis V cum Philippo IV dissentione, quum rex Bonifacii VIII memoriam infamare tentavit, verisimile est, quamvis nulla exstent documenta, Universitatem multis ab utroque Pontifice beneficiis auctam, et viventis et defuncti partes suscepisse. Eadem in Clementem V observantia judicium de Templariis factum fortasse approbavit. Jam minus incertum est eam, opiniones Joannis XXII de « *visione beatifica* », etiam adversus Parisiensem Universitatem defendisse. Nam doctores Avenionenses summo Pontifici, a quo jurisperiti maxime colebantur [2], adversari minime ausi essent, quum præsertim bonis beneficiis eos cumulatos viderent qui Joanni assentirentur [3]; ipse etiam pertinacissimi vir ingenii atque animi vehementissimi, qui adversarios severitate sua oppressit, doctores

1. *Mém. sur l'Unio. d'Avig.*, f° 45. — Fornéry, *Hist. civ. du Comt. Ven.*, liv. V, p. 457.
2. De Sade, *Mém. pour la vie de Pétr.*, t. I, p. 251.
3. *Ibid.*

Avenionenses a se deficere ægre tulisset, quos quidem benevolentia sibi adjunxerat[1]. Eos enim, si veteri membranæ credimus, inter Rotæ auditores primos admisit, eisque prius quam Bononiensibus Concilii Viennensis decreta vel Clementinas mitti curavit : eorum etiam consilio in augustis Christianæ reipublicæ negotiis plurimum uti solebat, ut patet, ex consuetudine ejus cum Oldrado jurisconsulto[2]. Præterea illud ad Universitatem Avenionensem, in qua tum desiderabatur Theologiæ Facultas, videtur pertinere, quod refert *continuator Nangii* dicens : « *magistri de Parisiis melius sciunt, quid debet teneri et credi in fide quam juristæ et alii clerici qui nihil sciunt de Theologia*[3]. » Hæc Francorum regis verba nostram Universitatem ita significant, ut minime dubitemus, quin partes Joannis in ea controversia susceperit nostra Academia : quæ etiam Ockamum, virum doctissimum, inter adversarios habuisse gloriatur, quum eumdem Pontificem adversus Ludovicum Bavaricum imperatorem et Petrum de Corbario antipapam sequeretur, ut apparet ex Oldradi responso[4]. Ille enim veluti conductitius Pontificis oppugnator a Genebrardo habitus est[5]. Dantem etiam sub Benedicto XII egregium imperatoris fautorem fortasse refutavit[6].

Minime autem mirabimur quod discordiis Pontificum, quibus omnino Christianorum societas perturbata est, doctores Avenionenses interfuerint. Dubium est an eorum auxilium quæsiverit Clemens VII, qui anxius et sollicitus fieri cœpit ut primum Universitatem Parisiensem de reducenda in pristinam concordiam ecclesia molientem sensit[7]. Attamen ita in Parisienses doctores iracundia exarsit, ut

1. De Sade, *ibid.* — *Petrar. rev. mem.*, lib. II, p. 429. Basil.

2. *P. rel. à l'Univ. d'Avign.*, t. IV, f° 1 v°. — Ciacon, t. II, p. 406. Nov. ad. aug. old.

3. Contin. Nangii in tomo VI spicilegii Acheriani, p. 243. — Baluz., t. I, p. 1153.

4. Baluz., t. I, p. 707.

5. Ciacon., t. II, p. 399, ad. And. Victor.

6 *Ibid.*, p. 459.

7. *Ibid.*, p. 674. – Christophe, *ibid.*, p. 127-137. — Bari.

certum satis videatur esse Academiam Avenionensem ab eo deficere non ausam fuisse. Paulo post, mortuo Clemente, Benedictus XIII in locum ejus suffectus est, qui, quamvis, priusquam eligeretur, promptissimum se ad ecclesiam conciliandam ostendisset, prædecessorem pertinacia, ubi coronatus est, superavit[1]. Universitas nostra in ejus ditione posita et cui ex communi cum summo Pontifice domicilio major dignitas, majoresque proventus accedebant, hujus causam tueri coacta est. Quæ etiam timuit ne Pontificis discessus optimum sibi auditorem et fautorem tolleret, quum ille peritissimis doctoribus vulgo adesse et maxima munera præbere soleret. Ideo Benedicti partes primum tenuit et Parisiensi Universitati, auctoritate potentissimæ, quæ Benedictum maxime oderat, adversata est. Magnum in eam voluntatis documentum ipse dedit Petrus de Luna, qui a legatis Galliarum regis ad tiaram deponendam invitatus, rem ad doctores Avenionenses deferendam censuit anno 1395, ante diem septimum Idus Junias[2]. Jam antea, anno 1394, Ægidius Bellamera, Avenionensis episcopus et Universitatis Cancellarius, ad Galliarum regem a Benedicto missus erat, qui summi Pontificis de schismate componendo studium declararet[3].

Sed post obedientiæ detrectationem a doctoribus Parisiensibus impetratam et mox a rege Galliarum promulgatam, quum Avenionenses, Gallorum militum metu, Benedictum deserere cœpissent, Universitas ipsa cardinalium plurimorum exemplum secuta est[4]. Nam civitatis senatus, in quo ipsa plurimum auctoritate et consilio valebat, militibus regis portas aperire decreverat anno 1398[5]. Huic deliberationi

1. Christophe *ibid.*, t. III, p. 143, 145. — Bourgeois du Chastenet, *Preuv. de l'Hist. du Concile de Constan.* — *Thesaurus anecdot.*, t. II, p. 1177.

2. Gontier, *Récit de l'ambassade de Mess. les ducs, dans Camb. Vell.*, t. III, f° 144 v°. — Teyssier, *Hist. des souv. Pont. q. ont siégé dans Avig.*, p. 405, 406.

3. Fornéry, *ibid.*, t. I, f° 624.

4. Fornéry, *ibid.*, f°s 137-138. — Camb. Vell., *ibid.*, t. III, f° 178 v°.

5. Fransoy, *Hist. d'Avig.*, t. IV, f° 229.

Universitatis legati et Primicerius certe adfuere, sine quibus de nulla re gravi civitas consulere poterat [1]; qui collegas secum fere omnes traxere, paucis quibusdam exceptis, qui fidem erga Benedictum tacite servare maluerunt, ut postea videbimus. Sic propriæ utilitati male inserviit Universitas, et a Pontificis causa defecit, sive regis Galliarum metu, sive conciliandæ ecclesiæ studio. Ceterum eam sibi Benedictus sævitia magis alienavit, qui, in palatio obsessus incendium et ruinam urbi minabatur, donec ipse hostis ab obsidione palatii recederet [2]. Apparet etiam Universitatis odium ex fœdere inter Petrum de Luna et civitatem icto, anno 1399 et ante diem octavum Kal. Maias, in quo nominantur sex doctores, qui utpote urbis consiliarii, pro civitate paciscuntur [3]. Ea tum ira tota civitas flagrabat, eo furoris plebs ipsa venerat, ut Academia nostra Benedictum, etiamsi voluisset defendere, non potuisset. Quidam tamen, sed perpauci doctores periculo non sunt deterriti a consilio Benedicti in libertatem vindicandi [4]; quorum proditionem sic refert Valladerius : « Anno 1401 schismaticus (*Benedictus*) alio cogitationem avertit, occulte incipit sollicitare civium quorumdam inquietos et rerum novarum appetentes animos, quorum ope urbem caperet, atque, ut mea manuscripta declarant, popularetur, expilaret, incenderet, perque ruinas murorum et cineres pulcherrimæ urbis evaderet. In eam suspicionem venit primum Franciscus de Cario, doctor legum atque assessor civitatis, deinde Augustinus de Volqueria, licentiatus, cum priore Sancti-Antonii et Reymundo Trenquerio, qui ad quartum nonas octobris comprehensi et dirissima [durissima?] quæstione vexati, deque criminibus confessi, perduellionis atque perfidiæ supplicium tulerunt : Francisci vigesimo sexto novembris quatuor in partes laniati bracchium dextrum ad portam divi Lazari, ad

1. *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, f° 32. — Barj., *Dict.*
2. Fransoy, *ibid.*, f° 231 v°.
3. Camb. Vell., t. III, f° 218.
4. Fornery, *ibid.*, t. I, f° 652.

Imberti coxa dextera, ad divi Michaelis sinister cum bracchio humerus, ad portam de Miraculis reliqua coxa, caput in circo divi Desiderii, viscera in patibulo areæ divi Petri appensa per annum atque eo amplius steterunt ad exemplum, humata tandem jussu Cardinalium ad Carmelitas : Trenquerius cum priore biduo post per urbem cum urbe in tabula depicta circumducti et in crucem acti fuerunt : Augustino sexto post die tertio nonas decembris securi caput avulsum ab humeris : aliquot aliis eamdem ob causam extremus idem cruciatus constitutus est[1]. »

Interea universi Benedicto se infensos præbebant, quippe qui in tanta non solum urbis sed totius orbis christiani perturbatione vacuas studentibus scholas viderent. Itaque, postquam Petrus de Luna e manibus obsidentium feliciter evasit anno 1403, collegium doctorum extemplo congregatum Romano Pontifici obedire statuit, omnesque et urbis et viciniæ incolas suæ sententiæ participes habuit[2]. Mox vero, ubi ad castrum de Reynaro, vicum duobus leucis tantum Avenione distantem, Benedictum se contulisse audivit, de pace fœdus inivit civitas cum Petro de Luna anno 1403[3], cui certe doctores assenserunt; Universitas enim sese ad versatilia Avenionensium studia videtur accommodasse. Hi, ut primum regem Galliæ Bonifacio IX infensum ob repulsam et tergiversationem compererunt, de Petro restituendo cogitaverunt[4] : eorumque defectionem vel imitata vel secuta est Universitas. Doctorum fidem minime suspectam habuit Benedictus qui, quum jam in eo esset ut Genuam proficisceretur, ubi restituendæ concordiæ causa cum competitore congressurus erat, Nicæam legatos civitatis atque Universitatis Avenionensis anno 1405 convocavit, quibuscum de obedientia urbis servanda conferret[5].

1. Vallad., de Magno schism. oratio., f° 410.
2. Fantoni, t. I, p. 33. — *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 45.
3 Fornery, *ibid.*, p. 659. — Camb. Vell., t. III. f° 183.— Fransoy, *ibid.* t. IV, p. 237.
4. Vallad., de Magn. schism. orat.
5. Camb. Vell., t. III, f° 189.

At brevi post, anno 1409, Rodericus de Luna Avenionensibus minus confidens quam patruus, Palatium turremque, qua pons defendebatur, et castellum vicegerentiæ occupavit atque munivit [1]. Is enim subodoratus erat novos sensus civitatis, quæ iterum malo erga Benedictum XIII animo erat, ex quo viderat a rege Galliæ obedientiam iterum negatam, et pseudopontificem in concilio Pisano, postquam Alexander V electus fuit, damnatum, turpiter dejectum e pontificatu [2]. Itaque urbem ut terreat, nobilissimos duodecim cives ad convivium invitat, quos, dum mensæ accumbunt, arripit et in vincula conjicit : eorum tres circiter aut morbo fracti, aut strangulati periere : quæ perfidia alterius schismatici belli Avenione dedit signum (1410) [3]. Auxilia vocantur ab Avenionensibus, parantur arma, tormenta adducuntur, Cardinali Tureio, Alexandri V legato, portæ aperiuntur, Rodericus in palatio obsidetur. Senatores urbis, quorum in numero inscripti erant doctores Universitatis, nequidquam prælium arcere tentant; Universitas tota sese in pugnam accingit [4]. Ante diem tertium decimum Kal. Jun. anno 1410, concilium civitatis apud professorem Antonium Vironem convocatur, ut de bello gerendo provideat. Huic deliberationi aderant Pontius Trenquerii, legum doctor, Petrus de Sancta-Cruce, assessor, Raymundus Trenquerii, Antonius Tomasii et Foresius Ninus, licentiati in legibus, et dominus demum Bertrandus de Vinea, jurisperitus; duo autem doctores et baccalaureus unus vel studio erga Benedictum, vel necessitate aliqua remoti, aberant [5]. Ergo in illa celeberrima obsidione, in qua par fuit et obsidentium et obsessorum virtus, Universitas Avenionensis partes civitatis secuta est, et magnopere profuit expulsioni Roderici, qui tandem de arce reddenda conditiones subiit ante diem undecimum Kal. decemb. anno 1411 [6].

1. Fornéry, *ibid.*, p. 683. — Vallad., *ibid.*
2. Vallad., *ibid*, f° 427. — Fornéry. *ibid.*, t. I, f° 685.
3. Vallad. et Fornéry, *ibid.* — Camb. Vell., t. III, f° 1981.
4. Vallad. et Fornéry, *ibid.* — Fransoy, *ibid.*, t. IV, f° 241 v°.
5. Fantoni, t. I, p. 295. — Camb. Vell., t. III, f° 199 v°.
6. Fornéry, *ibid.*, f° 701. — Camb. Vell., t. IV, f° 9.

Postquam schisma cives atque doctores Avenionenses consilio et armis composuerunt, Joannes XXIII, legitimus creatus Pontifex (1410), ita eis favit, ut non solum Universitatis nostræ legatos ad Concilium Pisanum vocaverit, sed Theologiæ Facultate eam auxerit, et cives maximis privilegiis ornaverit[1]. Tali remuneratione summus Pontifex suam Universitatis æstimationem arguit. Imo eam iterum ad Concilium Constantiense vocavit: quo Joannes Hugoneti ab Academia delegatus est cum duobus aliis a civitate missis, Jacobo Crasseti et Simone Quatadriorum. Sic Universitas Avenionensis sedandi schismatis se cupidissimam ostendit, atque Benedicti pontificatus fini et Martini V electioni profuit : qui quidem gratus dignitatis anno 1431 recens absumptæ eam certiorem litteris fecit. In quo etiam prædecessorem imitatus est Eugenius IV, qui pariter novum ei pontificatum denuntiavit[2]. Tantam enim existimationem, tantamque auctoritatem Universitas nostra tum adepta erat, ut ejus suffragium et gratiam et Eugenius IV et Patres Concilii Basiliensis simul ambierint. Exstant adhuc summi Pontificis litteræ. Anno 1437 Eugenius IV doctoribus et magistris Universitatis Avenionensis scripsit, ut legatos ad Concilium Ferrariensem mitterent. Quorum ut studium accenderet, gravissimas res a Concilio tractatum iri pollicebatur; etenim agendum erat primum de utriusque latinæ græcæque ecclesiæ conjunctione, deinde de clericorum emendatione, tertio denique de christianæ reipublicæ concordia. Dum doctores Avenionenses summo Pontifici digni videbantur qui tanti momenti rebus interessent, a Patribus synodi Basiliensis etiam invitabantur, ut Concilii generalis auctoritatem et jura tuerentur adversus Eugenium IV, qui, et ecclesiæ reformationem et propriam emendationem vitandi causa, Sanctam Synodum primum dissolvere et Ferrariam deinde transferre conatus erat. Patres huic faci-

1. Vallad., *ibid.*, f^os^ 441-442. — *Archives d'Avign.*, lit. Joan. — *Bull. Civit. Aven.*, p. 60.

2. Fantoni, t. I, p. 308. — Cadecombe.

nori sese obstitisse confessi tenorem solemnis decreti cum purgatione calumniarum, quæ de ipsis falso vulgabantur, Universitati mense novembris anni 1437 transmiserunt [1]. Paulo post, anno 1438, altera ad eam scripta epistola, in obstinatum et perfidum summi Pontificis animum invecti, qui et sacro concilio parere recusaverat et Græcorum legatos ad se, magno conjunctionis detrimento, Ferrariam adducere tentaverat (quapropter illi, ut aiebant, jure papali imperio interdixerant), orabant ut ad synodum Basiliensem nuntios mitti curaret, omisso Ferrariensi conventiculo [2]. At Patribus quamvis Avenionem elegissent quâ in urbe de conjunctione optatissima Græcorum cum Latinis ageretur, in quam concordiam civitas ipsa septuaginta mille ducatos seu florenos aureos contulerat, Academia Avenionensis, novis summi Pontificis litteris eodem anno (1438) allecta, respondit id fieri non posse sine licentia Eugenii IV [3]. Itaque summo Pontifici parere maluit, præsertim præstantissimis a viris impulsa Paulo de Cario, episcopo Gladavensi, et Pontio de Sadone, episcopo Vasionensi, qui ambo professores clarissimi Eugenio IV obsequi et auxiliari contra publicum Avenionis concilium obstinate voluerunt [4]. Nostra igitur Universitas magnam de iis, qui libertatis Gallicanæ doctrinam Avenionem inducere, et concilio generali Pontificem submittere nitebantur, victoriam retulit. Inde maxima in eam Eugenii IV benevolentia, qui eam hortatus est anno 1439, ut supplicationibus ipsa celebraret promissam ab Armeniis ecclesiæ romanæ obedientiam [5]. Patres vero Concilii Basiliensis, eam quum sibi adscire frustra tentavissent, terrere voluerunt : denuntiaverunt se e Pontificatu Eugenium dejecisse. Is vero, ut eam in fide constantem agnovit, magis ac magis colere cœpit, eique in ostentationem amicitiæ, per oratores pontificios Avenione resi-

1. *Archiv. d'Avign., Cart. de l'Univ.*, pièce 49.
2. *Archiv. d'Avig., ibid.*, p. 50.
3. Cadecombe. — *Archiv., ibid.*, p. 51. — Fantoni, t. I, p. 33.
4. Cadecomb.
5. *Archiv. d'Avig*, p. 52.

dentes, librum circa acta Concilii Basiliensis misit examinandum atque approbandum [1]. Quin illud fecerit Universitas Avenionensis minime profecto dubitamus, quum ea quidem Eugenium nunquam deseruerit, eique obedientiam atque venerationem, vel post Felicis V electionem, continuaverit.

Tantam fidelitatem magna observantia rependere conati sunt omnes summi Pontifices, qui a Martino V usque ad Clementem VII doctores Avenionenses suæ electionis participes semper fecerunt [2].

Postea vero tanti nunquam fuit in rebus humanis ponderis Universitas Avenionensis ; inconcussam tamen semper exhibuit fidelitatem, quum in summos pontifices, tum in doctrinam catholicam. Ejus enim orthodoxia, temporibus bellorum adversus hæreticos, maxime inclaruit [3]. Primum ne hæresis in civitate serperet diligentissime cavit. Anno 1547 duo studentes, qui novam doctrinam propagare conati fuerant, tueri noluit : qui perpetuo carcere cum pane et aqua mulctati sunt [4]. Postea duo alii, qui hæresim secuti sunt, summa ignominia affecti sunt anno 1557 [5]. Universitas etiam destituit Joannem Perrinum Parpaleam, patre Primicerio natum : qui, novam fidem professus, Arausionem sese recepit, atque inde in castellum quoddam comitatus Venaiscini impetum cum hugonoticis nequidquam fecit. Paulo post, quum Lugduni sacra vasa, ab ecclesia Arausionis rapta ad emenda arma, vendidisset, in itinere captus est a catholicis et deinde Prolegato Avenionensi traditus. Capite damnatus supplicium passus est in palatio anno 1562. Ejus bona fisco adjudicata fuere atque domus, quum a plebe direpta fuisset, solo æquata [6]. Non solum in discipulos aut magistros a catholica fide

1. Nouguier, *ibid.*, p. 178. — Cadecombe.
2. Fantoni, *ibid.*, t. I, p. 33.
3. Cadecomb., *Nov. disq. leg.*, p. 111.
4. Teyssier, *Hist. d'Avig.*, t. II, f° 135. — Chambaud., *ms*, t. III, f° 175.
5. Chambaud., *ibid.* — Justin Boudin, *Hist. des guer.*, etc., t. I, p. 81.
6. Just. Boud., *ibid.*,, p. 124. — Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 149. — Barj., *Dict.*

deficientes sæviit Universitas, sed etiam omni ope et nisu, vel pecunia, ducem summi Pontificis Franciscum-Fabricium *Serbelloni* adversus hæreticos adjuvit [1].

Universitas nunquam deinceps a fidelitate in summum Pontificem et ab orthodoxia destitit. Anno 1650, statim ut audivisset calumnias quasdam de docilitate sua ad summum Pontificem delatas fuisse, decrevit nuntium Romam mittere, qui Papam de obsequentissima sua veneratione et devotione certiorem faceret [2]. Neque odium in hæresim posuerat. Etenim, anno 1657, omnes doctores Avenionenses jusjurandum, genibus flexis, Primicerio dederunt, se diligenter, observaturos quidquid, adversus Cornelii Jansenii quinque propositiones in bullis Innocentii X et Alexandri VII, pronuntiabatur [3]. Itaque anno 1718, quum pater *Barbat,* philosophiæ regens, in congratulatione recenti cuidam doctori facta, hoc præsertim juveni laudi vertisset, quod apud Patres Oratorii ordinis Theologiam per biennium Arelate didicisset, Primicerius Michael-Dominicus *de Garcin* audaciam professoris increpuit, qui patres bullæ *Unigenitus* oppositos, ideoque excommunicatos, in oratione sua nominare ausus esset. Hinc exorta contentio : excommunicatos nondum esse habendos qui a summo Pontifice ad Concilium proxime futurum provocavissent, pater *Barbat* pertinaciter asseruit. Nequidquam se retractationem exacturum Primicerius minatus est. Non modo institit professor, sed dictum rationibus tueri conatus est : quippe qui epistolam *Pastoralis officii,* contra adversarios bullæ scriptam, comminatoriam tantummodo esse, eamdemque ab archiepiscopo neque ratam, neque promulgatam, minime valere affirmaret. Quamobrem Primicerius, postquam Avenionis Prolegatum atque archiepiscopum præmonuit, Patri *Barbat* omni doctoris officio interdixit donec publice dicta revocavisset. Sed sancti officii romani sacram congrega-

1. Teyssier, *ibid.*, p. 144.
2. *Univ. d'Avig.*, t. I; *Hist.*, f° 198. — *Mém. sur l'Univ.*, f° 143.
3. *Mém. sur l'Univ. d'Avig., ibid.*

tionem Pater *Barbat* judicem appellavit, ut rem produceret atque docendi munus, invito ipso Primicerio, continuaret. Interea scholarum feriæ præterierant, et quum magistri cathedram repeterent, in sua se triumphaturum Theologiæ professor speraverat, quanquam in libellis rerum eo anno docendarum nomen suum non viderat. Hanc ei præcidit spem Primicerius, qui philosophiæ auditorium valida sera muniri curaverat, cujus ipse clavem detinebat. Qua de re monitus Pater *Barbat* auditorium Theologiæ usurpavit. Sed Primicerius, tanta contumacia et quasi rebellione ad Prolegatum delata, Patrem e schola expellere *etiam manu armata* decrevit. Vetuit igitur Prolegatus ne Pater *Barbat* quodlibet doctoris officium exerceret. Prolegato tamen, adhortanti ut ab opinione desisteret, obsecutus est Pater *Barbat,* qui retractationem inter se et Primicerium statutam, ante diem sextum Kal. Novemb. in publico doctorum consessu, his verbis fecit : « Memini me die 18ª men-» sis præteriti dixisse excommunicationem contentam in » litteris SS^mi^, quæ incipiunt : *Pastoralis officii,* esse » solum comminatoriam. At ubi paucis ab his diebus sen-» tentiam hac in re mutavi, et oppositam professus » sum contra detrectantes se submittere constitutioni » *Unigenitus;* sic et nunc profiteor iterum me credere » prædictam excommunicationem in iis litteris contentam » esse veram, realem et effectivam, non autem comminatoriam solum ; fateor etiam me existimare et credere » Bullas summorum Pontificum non pendere in sui valore ab » acceptatione et mandato episcoporum : quæ omnia mea » sponte, meaque electione libens profiteor. » Cui, sententiam ita retractanti, Primicerius respondit : « Decernimus » actum de tua retractatione. » At, quum Pater *Barbat* addidisset : « Non obediendo decreto Domini Primicerii, » sed in gratiam Ex^mi^ Domini Prolegati hæc dixi », statim exclamavit, magna cum indignatione, Primicerius : « Et » ego impono tibi silentium ». Tacuit ergo victus Theologiæ professor, omnique magistri officio abstinuit. Magnis autem laudibus cumulatus est Primicerius, qui sanctæ

Sedis auctoritatem sic tuitus erat. Sacræ vero congregationi obedire coactus fuit Pater *Barbat*, qui jussus est damnatam omnino repudiare sententiam. Quod, quum humiliter et nudo capite coram Inquisitore Avenionensi, Primicerioque et quibusdam Theologiæ doctoribus, fecisset, cathedram rursus obtinuit [1].

Præclaram illam devotionem in summos Pontifices non solum in privatis gestis, sed etiam in Conciliis diversis temporibus Avenione habitis [2], Universitas declaravit et præsertim in Concilio anni 1725, ubi hæc præcepta inter alia leguntur : « Hoc tandem summopere mandat, et optat sancta synodus, ut in scholis, tam publicis, quam privatis, intra Provinciæ nostræ fines constitutis, sana semper et sincera sacro sanctæ Fidei apostolicæ doctrina tradatur, quatenus fideles nobis concrediti, sicut uno Baptismate in spem vivam regenerati, unum colunt Deum, sic una jungantur fide in terris, ut fidei mercedem consequi mereantur in cœlis [3]. »

Nec minor fuit doctorum Avenionensium in reipublicæ dignitatibus implendis, negotiis tractandis, legationibus obeundis, atque civitate ipsa administranda auctoritas. Namque ex Universitate electi sunt judices celeberrimi illius tribunalis Rotæ a Joanne XXII circa annum 1326 instituti [4]. Doctorum quoque e collegio excerptus erat Hugo de Gennasio, qui primus Tribunali Vicegerentiæ, anno 1412 condito, præfectus est [5]. Ægidius de Bellamera, splendidissimum Universitatis nostræ lumen, Rotæ auditor fuit creatus, deinde Avenionensis episcopus ab anno 1390 ad annum 1409. Sedem Auraicensem obtinuerunt anno 1454

1. *Univ. d'Avig.; Docum. div.*, t. II, 1re part. — *Mém. sur l'Univ. d'Avig.*, fo 277.

2. CADECOMB., *De prim. Univ. erect. fragm.* (*Univ. d'Avig.*, t. I, fo 47).

3. *Constitutiones Concil. Aven., anni 1725*, p. 21.

4. *Pièces relat. à l'Univ. d'Avign.*, t. IV, fo 1 vo. — FRANSOY, t. IV, fo 53. — BARJ., *Dict.*

5. FANTONI, t. I, p. 302. — CAMB. VELL, t. IV, fo 12 vo. — TEYSSIER, *ibid.*, fo 51.

Joannes *Payer,* qui Primiceriatu non semel functus erat, et anno 1572 Joannes de Tullia, qui comitatus Venaiscini rector etiam fuit. Josephus-Maria Suaresius, vir omni scientia cumulatissimus, Vasionem ecclesiam gubernavit [1]. Denique Franciscus *Genet,* circa annum 1686, ab Innocentio XI ad episcopatum Vasionensem assumptus est [2]. Rectores comitatus Venaiscini fuere Phillippus *de Cabassole* anno 1362, Joannes Casaleti anno 1482, et Franciscus Suaresius anno 1627; vice-rectores Stephanus Bertrandus anno 1511 et Joannes de Lopis [3].

Summi vero Pontifices inter consiliarios habuere Oldradum, qui a Joanne XXII consultatus « respondit totum Comitatum teneri [pecuniam?] pro emptione terræ Valreaci, quæ tum pertinebat ad Delphinatum, *contribuere* », et Baldum, qui suasit Gregorio XI, ut Romam ipse rediret, sedemque Pontificiam transferret [4].

In amplissimis legationibus atque maximi momenti rebus adhibiti sunt doctores Avenionenses. Cardinalis de Fuxo, legationi Avenionensi præpositus, Philippo Gervasio in gravissimis negotiationibus feliciter usus est [5]. Idem Rodolphum Rollandi et quemdam ejus collegam nomine *Rosergue* auxiliarios habuit in illo congressu cum Alphonso, Aragonensium rege, Valentiæ anno 1427 habito [6]. Quorum opera ita fuit contentus, ut eosdem secum in alterum cum eodem principe colloquium anno 1429 adduxerit [7]. Doctores etiam Avenionenses jura summi Pontificis adversus Francorum regem, qui sibi Rhodani fluminis dominium vindi-

1. Barj. — Inter ceteros qui episcopatum obtinuerunt nominandi sunt Goffredus Saligniaci apud Cabellionenses et Bajocenses, Petrus Bertrandus apud Autunenses, Paulus de Cario apud Gladavenses, Pontius de Sadone apud Vasionenses, Agricolus *Panisse* apud Aptenses. (Cadecomb., *Nov. disq. leg.*, c. XXIII.

2. Cadecomb., *ibid.*

3. Cottier, Not. concern. les réct. du Comt. Ven., passim.

4. Cadecomb., *ibid.*

5. *Ibid.*

6. Fantoni, t. I, p. 312. — Camb. Vell., t. IV, f° 22.

7. Fantoni, *ibid.*

cabat, tanta eloquentia tantaque calliditate tuiti sunt, ut ad suam sententiam legatum regis Guillelmum *Le Turc* anno 1431 traxerint. Quod, quum compertum habuit Carolus VII, negligentiæ Guillelmum increpuit, et quidquid ab eo actum fuerat a Parlamento abrogari anno insequenti jussit [1]. Eam tamen litem in longum productam, anno 1500, summus Pontifex et Francorum rex, iterum componere conati sunt. Quamobrem a summo Pontifice missi Joannes Casaleti, Petrus *Baudon* et Guillelmus Meynierius, jurisperiti Avenionenses, causam sanctæ Sedis omni conatu sine dubio egerunt [2]. A Prolegatis duo Belli, Ludovicus et Gabriel, amplissimis etiam provinciis ornati sunt. Ludovicum enim Montorius, anno 1605, « sibi nominat adsessorem in generali illa redditione rationum, quæ a *reliquatoribus* [3] *communitatum* hujus status exigebatur. nec non sui muneris vicarium destinat in illis, quæ ad observationem bullæ *de bono regimine* pertinerent : septimo autem anno (1607), disceptatorem cognitoremve delegat controversiæ inter nostrates et Villanovanos, occasione trajectus Rhodanici motæ. Ferrerius [4], assessoris provinciam, a Montorio jam ante delatam, eodem anno adserit, ampliatque. Eminentissimus Philonardus eum [Ludovicum] una cum Comitatus Rectore, nominat arbitrum ad illam consultationem percelebrem, quæ anno sæculi *currentis* [præsentis] *XIII* super antiqua hæreticorum lite, bona ob hæresim publicata atque proscripta, recipere ac redhibere satagentium, habita, et acerrimis agitata animis est supra Pontem, in æde D. Nicolao sacra, Cardinali et marescharcho *d'Esdiguières* præsentibus ; in qua, vix capit fides, quam strenue sese atque excellenter habuerit, et æquitate, quam tuebatur, causæ, et propria virtute munitus :

1. Camb. Vell., t. IV, f° 35 v°.

2. Teyssier, *ibid.*, t. II, f° 79.

3. Verbo *reliquatoribus* designari putamus eos, qui communitatibus aut mutuatam pecuniam, aut vectigalia nondum persolverant.

4 Petrus-Franciscus Montorius et Josephus Ferrerius Prolegati ambo fuere, alter ab anno 1604, alter ab anno 1607. (P. Achard, *Ann.* de 1854).

nam, quum in aliis consultationibus, quibus adhibebatur frequentissime..., vix æquales invenerit, in ista, satis constat, se ipso superiorem quodammodo exstitisse. Cumque anno XVIII gravis controversia, Avenionem inter et locum Novarum excitata fuisset, ratione Druentiæ, eum Eminentissimus Cardinalis a Balneo, cum suo auditore, nominavit arbitrum, qui de ea cum regiis administris cognosceret ac pronuntiaret [1] ». Gabrielis quoque solertia et judicio usi sunt Eminentissimi Cardinales Georgius de Armeniaco, Octavius de Aquaviva, Carolus de Comitibus, Philippus Philonardus et Joannes Franciscus de Balneo, qui per illa tempora legatorum, apud Avenionenses, vices agebant. Etenim Gabriel cum Ludovico interfuit et controversiæ, quam Avenionenses cum incolis pagi Novarum agitabant, et colloquio in sacello Divi Nicolai ad Rhodanum habito [2].

In civitatis rebus gerendis plurimum etiam et ingenio et peritia valuit Universitas : quippe quæ nunquam desierit doctores quosdam ad consilium domus communis mittere. A collegio nempe consiliarii eligebantur, qui una cum Primicerio in senatu sederent. Hi primum ad vitam, deinde anno 1612 in biennium nominabantur. Quorum quidem numerus sæpe variavit. Tres enim primum videntur exstitisse (1547), quibus postea quartus additus est (1680) [3]. Quam partem in negotiis publicis ipsi habuerint, ex verbis Pauli Cadecombi perspicue patet : « demum etiam, inquit ille, circa politicum regimen civitatis Avenionensis sic emicat ejusdem Primicerii dignitas ac præeminentia, ut nullum concilium publicum, vel privatum publici præparatorium, congregari valide possit, et multo minus quidquam ibi deliberari, nisi ipse cum deputatis de collegio intersit; quod in eam utilitatem publici compendii cedit, ut in arduis, quæ sæpe accidunt, civitas (absit verbo invidia)

1. Vita Lud. Belli, initio ejusdem consiliorum.
2. Gabrielis Belli encomium a Ludovico Crozeto scriptum.
3. *Univ. d'Avign.*, t. I; *Hist.*, f^os 57, 68, 69, 75, 235. — *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f° 115.

saniora ejus consilia quotidie experiatur : imo nulla mandata de solvendo, a Consulibus expedita, per Thesaurarium civitatis solvi possunt, nisi ab eodem Primicerio et deputatis collegii approbata et manu propria subscripta ; nulla pariter « *affictuum* » [1] vel operum ad regimen civitatis spectantium licitatio, aut deliberatio fieri potest, nisi ipsis Primicerio et deputatis præsentibus aut vocatis ; denique nullus contractus nomine civitatis a Consulibus stipulari, nisi ipso subscripto cum uno vel pluribus deputatis collegii » [2]. Omnibus igitur Avenionis negotiis, utilitatibus, impensis nostra consulebat Universitas.

Doctorum tamen Avenionensium ea auctoritas fuit tempore imminuta. Namque ubi a summis Pontificibus deserta est Avenio, ubi schismatis altercationibus et religiosis controversiis interesse desiit, multum statim dignitatis atque amplitudinis amisit [3]. Disciplinarum prosperitate, magistrorumque fama paulatim deficiente, magnitudo etiam Universitatis effluxit, quæ nullius prope momenti postremo fuit, quum apud reges, tum apud Avenionenses. Etenim Parisiis anno 1716 legatus quidam Avenionensis, cui cives commoda sua commiserant, ita illusus est, ut Universitas pecuniam, qua Parisiis se sustentabat, ei retrahendam censuerit. Eadem Prolegato tota subjecta erat, cujus potestate crescente, ipsius auctoritas imminuta est. Ita ejus gratiam obsequio consequi conata est, ut nihil contra ejus mandata dicere, aut suadere in consilio civitatis ausa fuerit. Sed provincia, ab eo suscepta diminuendi civitatis sumptus, egregie fungebatur; quippe quæ anno 1713 dona et convivium, a Prolegato *Banquieri* suppressa anno 1706, iterum Consulibus, consiliariis, ceterisque civitatis « *officiariis* » ad nativitatis Domini festum restitui noluerit [4]. Sic nobilis illa Universitas, quæ quondam tanta apud summos Ponti-

1. *Affictus*, census, reditus (DUCANGE).
2. CADECOMB., *Nov. disq. leg.*, p. 61.
3. FRANSOY, *ibid.*, t. IV, f° 53.
4. *Officiarius* gerens aliquod munus, gallice *officier*. Vid. officialis (DUCANGE). — *Mém. sur l'Univ. d'Avign.*, f°s 265, 268.

fices gratia viguerat, quæ maximis interfuerat negotiis, priori dignitate atque auctoritate dejecta, eam octavo decimo sæculo habebat curam, eum laborem suscipiebat, ut Avenionensibus magistratibus negarentur dapes in solemni Nativitatis convivio iisdem olim concessæ.

CONCLUSIO

Ea igitur origo et amplificatio, ea doctrina et constitutio, ea denique fuit auctoritas Universitatis Avenionensis, quæ, ex antiqua schola primum orta, decreto Gallici Legiferi, ut aiunt, Concilii, anno 1792, abrogata fuit. A Carolo II Rege licet condita, e regali mox pontificia facta est, postquam in ditionem Clementis VI venit anno 1348, et sanctæ Sedis Apostolicæ partes constanti studio jam tum amplexa est. Attamen fatendum est eam interdum propriæ utilitati ita consuluisse, ut obsequio Galliæ Regum benignitatem in se verterit: quippe quæ utraque manu, undecumque tribuerentur, privilegia libens acceperit, ipsius civitatis calliditatem imitata.

Nostra nempe Universitas, neque tamdiu perstitisset, neque tantum inclaruisset, nisi magnifica quum Regum et Pontificum, tum Cardinalium et privatorum liberalitate aucta, adjuta et quasi sustentata fuisset. Quæ quidem beneficiis præsertim cumulata est a Summis Pontificibus, quo-

rum longa apud Avenionenses permansione nihil felicius ei contigit. Quod patrocinium nisi nacta esset, brevi temporis spatio propriis viribus effeta concidisset. Neque tot inclytos habuisset professores, qui, clarissimos ceterarum Universitatum doctores æmulati, frequentes discipulos undique alliciebant. Neque perfectam et omnibus numeris suis, id est Legibus, Artibus, Medicina et Theologia constantem, doctrinam multitudini discipulorum tradidisset; neque ideo « *famosam* », ut aiebant, se profiteri potuisset : neque tot collegiis donata fuisset, in quibus corporis simul atque animi nutrimenta juventuti liberaliter distribuebantur. Quin etiam, ipsa Avenionensium civitas, quamvis litterarum antiquitus studiosissima, forsan Universitati non tantum favisset, nisi ad liberalitatem summorum Pontificum, quos doctoribus nostris devotissimos noverat, suam quoque accommodasset. Neque rursus Universitas, si non fuisset sub ditione et quasi sub manu atque ante oculos paparum posita, tanta unquam auctoritate, sive in magni schismatis altercationibus, sive in civitatis deliberationibus, valuisset.

Namque in summos Pontifices, a quibus tot et tanta beneficia acceperat, gratum semper præ se tulit animum, quibus, non solum non adversari, sed plerumque assentiri voluit. Eugenium IV, exempli gratia, defendit, dum aliæ Universitates una cum patribus Concilii Basiliensis libertates ecclesiæ Gallicæ tuebantur. Quod autem ad res publicas attinet, nisi eam auxisset et quasi honestavisset Summorum Pontificum favor et gratia, nunquam, in civitatis curia, eo amplitudinis procedere potuisset. Quo magis enim apud Avenionenses coluntur ac pollent Gallorum Reges, eo magis, sanctæ Sedis potentia senescente, Universitatis auctoritas imminuitur. Avenione scilicet a sexto decimo sæculo nonnullos incolas invenias, qui pro Rege Francorum steterint, ejusque partes defenderint. Neque aliter fieri poterat in civitate undique a Gallis circumdata, eorumque mores et linguam usurpare solita. Quæ toties in potestatem Regum Gallorum venerat, ut eis obedire paulatim assuevisset, et quasi Gallica facta esset, priusquam

Gallico Regno adjungeretur anno 1791. Nihilominus Universitas, quanquam *regnicolarum* privilegiis fruebatur, Pontificia et romana mansit, Regibus Gallorum et *Gallis Avenionensibus* [1] plerumque adversaria, Italis sæpius amicissima, summis Pontificibus maxime obnoxia, quibus in dies magis ac magis sese addixit : itaque prævalente Gallica factione, omnem dignitatem, omnem amplitudinem, omnemque auctoritatem amisit, parvi denique momenti fuit in curiæ deliberationibus.

Nec summis tantum Pontificibus, sed catholicæ etiam fidei devotissimam sese præbuit nostra hæc Universitas. Ceteras enim suo in Christianam fidem studio longe antecelluit, et adversus hæreticos, sive *Lutherianos,* seu *Jansenistas,* accerrime pugnavit. Quod quidem in detrimentum ei sæpe vertit. Namque variis temporibus, et præcipue octavo decimo sæculo, deserta fuit a Regni studentibus, qui Gallicæ ecclesiæ libertatibus maxime obstricti tenebantur.

Summorum igitur Pontificum beneficio, majorem in rebus, quum divinis, tum humanis, quam quævis alia Regni, excepta Parisiensi, nostra Universitas auctoritatem obtinuit. Professorum etiam frequentia et doctrinarum varietate ita inclaruit, ut celeberrimas inter Universitates numeraretur. Namque si Parisiensi Facultati Theologiæ atque Artium palmam, sine controversia, cessit ; si Montepessulanam in Medicina longo tantum intervallo secuta est, Tolosanam certe et Aurelianensem in legibus æquavit. Quanquam vero plus in legibus quam in ceteris doctrinarum partibus profecit, satis tamen gloriæ ex omnibus disciplinis suis reportavit, ut secundum inter alias obtineret locum. Quem profecto ordinem nemo ei negare poterit, animadvertere modo velit quam egregie conata sit summam scientiæ in se colligere, et rerum docendarum non minus utilitate quam diversitate discipulos allicere. Quæ quum ita sint, neque Avenionensi Universitati debitam laudem invidebimus, neque longo sæpiusque ingrato labori operam

1. His verbis designantur ii qui Galliarum regis partes tenebant.

dedisse nos pœnitebit. Ex his enim disquisitionibus multa patent fere ignota, neque forsan indigna (si quidem nobis judicium in nostra causa facere lector permiserit), quæ e tenebris ad lucem emergant.

Typis mandetur,

H. REYNALD,
Doyen de la Faculté des Lettres.

Vu et approuvé par Monsieur le Recteur de l'Académie d'Aix :

J. BOURGET.

INDEX

PROLUSIO..... III

PARS PRIOR

DE UNIVERSITATIS ORIGINIBUS ET DE QUATUOR EJUS FACULTATIBUS

CAPUT. I. — De Avenionensi Academia a Carolo II primum confirmata, deinde Bonifacii VIII approbatione in Universitatem versa..... 5
CAPUT. II. — De Legum Facultate..... 12
CAPUT. III. — De Litteris et de Facultate Artium..... 26
CAPUT. IV. — De Medicinæ Facultate..... 40
CAPUT. V. — De Theologiæ Facultate..... 47

PARS ALTERA

DE CONSTITUTIONE, PATRONIS, DIVITIIS, PRIVILEGIIS, ATQUE AUCTORITATE UNIVERSITATIS

CAPUT. I. — De Constitutione Universitatis..... 53
CAPUT. II. — De corpore studentium..... 64
CAPUT. III. — A quibus patronis et qualibus opibus Universitas adjuta fuerit..... 71
CAPUT. IV. — De privilegiis Universitatis..... 81
CAPUT. V. — Quatenus in civitatis rebus administrandis Avenionensis Universitas valuerit..... 89
CONCLUSIO..... 105

Lemovicis. — Ex typis V. H. Ducourtieux.

LEMOVICIS. — EX TYPIS V. H. DUCOURTIEUX.

Educ 4485.10
Universitatis averionensis historic
Widener Library 003963991
3 2044 079 765 350